

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHILOSOPHICA
DE
VETERVM
INPRIMISQVE
CICERONIS VRBANITATE.
CVIVS SECTIONEM PRIOREM,

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
P R A E S I D E
IOANNE FRIDERICO STIEBRITZ
PHILOSOPHIAE, OECONOMIAE, POLITICAE
ET CAMERALIVM PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,
ALVMNORVM REGIORVM EPHORO,
PRAECEPTORE EGREGIO, PATRONO PIE COLENDΟ,

D I G N I T A T E M M A g I S T R I
RITE OBTINENDAM
DEFENDET
DIE XXX. SEPTEMBR. CICICCLXXII.

18445.599 AUGSTOR
FRIDERICVS RVDOLPHVS WALTHER
HALENSIS
SEMINARII REGII THEOLOG. SENIOR.

HALAE AD SALAM, AERE HENDELIANO.



VIRO ILLVSTRE

EXCELLENTISSIMO CONSULTISSIMO AMPLISSIMO

ANTONIO FRIDERICO REIMERS

I. V. D O C T O R I

REGI BORVSSIAE IN COLLEGIO, QVOD DVCATVI MAGDEBVRGICO
REGVNDQ PRAEEST ET IN SENATV ECCLESIASTICO
MAGDEBVRGICO A CONSILIIS

PATRONO OPTIMO MAXIMO

STVDIORVM PROMOTORI

LIBELLVM HVNC ACADEMICVM

PUBLICVM PIETATIS DOCUMENTVM

SVMMA

QVA MAXIME DECET

OBSERVANTIA

OFFERT

OMIZAN QVIESCO

FRIDERICVS RVDOLPHVS WALTHER.



DE

VETERVM INPRIMISQUE CICERONIS VRBANITATE

§. I.



um permultae variaeque sint caussae, quae vel maxime impedian, quo minus litterarum earum, quae ab humanitate nomen habent, studium ab omnibus promoueatur: tum in primis multum obesse solet abiecta illa atque humili de veterum scriptis ex iisque capienda utilitate sententia, quam plerique et ipsi animo conceptam habent, et alios, quibus in enarrandis veterum libris praeire solent, eadem imbuunt. Ex illa enim opinionis prauitate oriuntur quidem innumera incomoda: tum vero praecipue illud exinde enascitur vitium, vt juvenes nihil fere, quod faciat ad morum suavitatem, iudicandi subtilitatem, loquendi et scribendi elegantiamque comparandam e veterum lectione reportent. Cogitanti mihi de intereuntium litterarum humaniorum caussis et quo fato minus benigno plerunque euenire soleat, vt plerique, inferiorum scholarum

larum subselliis relictis, etiam graecos et latinos scriptores cum puluere scholastico quasi relictant, illud, inquam, saepius cogitanti tristis illa puerilis institutionis occurrit memoria, quam si paullo accuratius considerauerimus, facile inde patebit, aliter fieri non posse, quam, ut iuuenes e scholis dimissi, etiam veterum libros de manibus ponant. Solent enim plerumque, qui se humanitatis lactant magistros, verba auctorari, vocabula puerorum memoriae austero vultu inculcare, flosculos e veterum libris decerpitos aut potius auullos, phraseologiae, si diis placet, elegantias, imitationum puerilium venustates omnesque eiusmodi nugas commendare et mirifice sibi ipsi placere, si harum rerum omnium fontes quasi digito praemonstrant suisque tironibus propinent: de iis vero saluberrimis praceptis, quibus veterum scripta abundant, quae morum integratatem commendant, recte iudicandi facultatem acuunt, linguae elegantiam promouent, quae denique prosunt ad inventionem et dispositionem, elocutionisque virtutes reliquas, in primis vero, illam summatam oratoris virtutem, urbanitatem cognoscendam, de iis rebus omnibus ne verbum quidem faciunt magisque muti, quam pascis, reperiuntur. Cum vero hac ratione cum iuuenili aetate instituatur veterum auctorum lectio, quid mirum, si humanitatis studia fastidiant atque auersentur? si Cicerones, Caesares, Neptotes aliosque scriptores aliis legendos relinquant, qui nondum ad altiores, quas nominant, disciplinas peruerenterint, neque altius euolare didicerint, sed scholasticis, ut opinantur illi, nugas occaecati humi repant. Quare etiam accidit, ut cum iuuenes in academiis aut alibi veterum librorum interpretes audiunt, mirentur, tantam inesse eorum scriptis elegantiam ac venustatem tantamque ex eorum, si recte instituatur, lectione capi posse utilitatem ac voluptatem. Quodsi igitur mature iuuenibus legendorum veterum librorum cupiditatem iniicere velimus, necesse erit, ut eos edoceamus, quae et quanta ad nos exinde redundet utilitas: quae licet fit varia et iam a multis copiosius commendata, nescio tamen, an haec sola, quae morum, iudicandi, scribendi et loquendi cernitur elegantia, multum valeat ad veterum librorum lectionem omnibus, qui sunt ingenua et liberali mentis indole, commendandam. Atque hae potissimum
 fuere.

fuere caussae, quae nos ad hunc de *urbanitate* libellum conficiendum impulerunt.

§. II.

Quam ardua vero ac difficilis nostra sit disputatio, non est, quod copiosius demonstremus, cum optime hanc rem cognoverint ii, qui veterum auctores, qui de *urbanitate* praecipiunt, legerunt. Etenim omnes, et graeci et latini, sibi ipsi minus constant variique semper sunt in definienda *urbanitatis* notione, ut non sine maxima difficultate vim atque naturam huius virtutis ex iis cognoscere liceat. Deinde vero veterum pracepta etiam hoc incommodum habere videntur, quod non accurate semper *urbanitatem* morum ab illa, quae ad eloquentiam proprie spectat, distinguant. Oritur praeterea alia quaedam difficultas, quae ex ipsa rei natura enascitur. Subdifficilis scilicet et lubrica omnis *urbanitatis* est praecipio: etenim omnia, quae sensum venusti et pulchri constituant, ita sunt comparata, ut nullis neque regulis neque praecepsis tradi posse videantur; sed ingenium et vius valent hic plurimum. Quare etiam veteres ipsi iam profertur, huius *urbanitatis* artem nullam esse, faciliusque aliquem urbane et facete loqui, quam de ipsa *urbanitate* praincipere posse.^{a)} Accedit denique ad haec omnia, quod facilis tota in caussa sit error proptereaque caute versandum. Magnum enim et veterum lectione subactum requiritur iudicium, ut varia, quae de *urbanitate* praeciپiunt, loca inter se comparemus ex insque, quae sit illius natura, doceamus et ad capita quaedam referamus. Deinde quoque venustatis et elegantiae quendam gustum ad hanc rem explicandam afferamus necesse erit, ut, quid pulchri, faceti et leporis insit veterum libris, cognoscamus et dijudicemus. Arque huius rei rationes saepius ita sunt absconditae, ut quid nobis *urbanum* aut elegans videatur, possimus quidem definire, caussae vero nos fugiant. Difficultati huic porro accedit alia, quod diuersa plane venusti et pulchri dijudicandi est ratio, variaque ea de re sunt hominum iudicia.^{b)} Summa praeterea in definienda *urbanitate* adhibenda est cautio, ne

A 2

omnia,

a) Cie. Or. L. II. c. 54. Quintili. Inst. Or. L. II. c. 3. n. 14. edit. Gesneri.

b) Quintili Inst. Or. L. VI. c. 3. n. 6.

omnia, quae pulchra atque venusta dicantur, vniuerse ad vrbanitatem referamus, cum ea orationis virtus a caeteris elegantias bene distinguenda sit ab iisque saepius multum discrepet. Denique reddit hoc quoque istam disputationem perdifficilem, quod ad hanc rem excutiendam necesse est, vt quis optimos et graecos et latinos scriptores perlegerit eorumque elegantias et venustatis sit quasi innutritus, vt, quemadmodum Seruius ille tam tritas habebat aures, vt facile diceret, hic versus Plauri non est, hic est: c) sic et ea, quae quasi urbis et urbanitatis speciem praeseferant, sentire valeamus. Quae cum ita sint, nos, cum hanc rem pertractandam nobis sumserimus, non id opera nostra efficere studemus, vt omnibus numeris absolutum libellum de urbanitate offeramus lectori; sed quaecunque super hac re a nobis disputata fuerint, tamquam specimen quoddam spectandum erit. Atque cum tot ac tantis omnis disputatio prematur difficultatibus, ab aequitate cuiusque exspectamus, vt benignum arbitrum se praebeat: neque omnibus praeterea veterum libris hanc dicauimus operam, quod multae et infinitae fuisset observationis; sed fatis habebimus, si pleraque exempla e Cicerone petamus, qui summus semper in hac venustatis parte artifex ab omnibus aestimatus est.

§. III.

Vt vero via ac ratione omnis de urbanitate tractetur disputatio, ab initio statim exponemus, quaenam et quomodo de ista differemus. Erit autem omnis tractatio quadripartita. Primum vniuersae de verbo *urbanitatis* et *deserentes* disputabimus sic ut, quaenam illi notio subiecta sit, videamus. Deinde vero progrediemur ad urbanitatem morum explicandam; postea locum de urbanitate sententiarum et ea, quae ad inuentionem et dispositionem rerum pertinet, aggrediemur: cumque huc praeципue joci et faciae sint referenda, de iis quoque breuiter exponemus. Quarta denique pars desinet in iis, quae de urbanitate elocutionis praecipienda videntur: Antequam vero ad ipsam rem explicandam progrediamur, ab instituto nostro non alienum esse videtur, scriptores et veteres et recentiores enumere-

rare

c) Cic. ad diuers. L. 9. epist. 16.

rare eos, qui de vrbanitate praecepta reliquerunt, ut et ipsi fontes, e quibus potissimum hanc dissertationem duximus, aperriamus. Ante Aristotelem nemo quidquam, quod caussam nostram illustreret, inueniet; quam ob rem ille iure primum locum occupat illiusque auctoritatem vel maxime sequatur is, qui de vrbanitate praecepturus est. Variis quidem in locis huius virtutis mentionem fecit, in primis vero hoc referri merentur ea, quae in libro de moribus c. 14. super hac re disputauit copiosius; praeterea vero non negligendus est alter ille locus ex Rethorica L. III. c. 10. et 11. quo ex instituto, in primis vero de vrbanitate elocutionis, differuit. Sunt adhuc pauca quaedam in libris rhetoricis de hac orationis virtute aspersa; sed hoc praecepue pertinent ea, quae L. II. c. 11. leguntur, vbi εὐτραπελανη interpetatur, ut ipsi idem ac οὗτοι πεπαιδευμένη esse videatur. Cum his, quae Aristoteles de vrbanitate praecepit, optimae coniungi poterunt ea, quae Theophrastus de virtuo, quod huic virtuti contrarium est, exposuit. ^{d)} Aristotelem statim excipiat magnus ille elegantiarum arbiter et exemplum Cicero, qui in libris de oratore conscriptis variis in locis elegantissime de vrbanitate, in primis vero ea, quae circa jocos et ridicula versatur, disputauit. Quare hic tanquam fons praecepious, e quo omnis de vrbanitate disputatio petenda est, spectari poterit. Pertinent autem ad nostram caussam praecepue ea, quae Or. L. II. c. 54 seq. sub Caefaris persona differit et nonnulla, quae in Bruto et Oratore saepius de hac orationis virtute aspergit. Ciceronem sequatur Quintilianus, qui in institut. or. L. VI. c. 3. ex instituto de r̄isu praecepit variasque vrbanitatis formas exposuit. Hi fere sunt e veteribus auctoribus ii, qui accuratius caussam istam, quam nobis illustrandam sumimus, excusserunt. Remittunt quidem plerumque ii, qui in libellis suis rhetoricis de vrbanitate praecipiunt, ^{e)} lectores ad Macrobi Saturnaliorum L. II.; cum vero ille tantum exempla varia congesserit, illum in hoc libello nusquam laudauimus. Ex iis vero auctoribus, qui saepius, licet aliud agendo, vrbanitatis mentionem faciunt, in primis hoc pertinent Horatii nonnulla loca,

A 3

quae

d) Theophrasti charact. c. 4. περὶ ἀγροτικῶν.

e) Vossius in commentar. rhetor. L. II. c. 12.

quae deinde excitabimus, vbi ad urbanitatis notionem eam, quae in malam saepe partem adhibetur, explicandam peruererimus. Veniamus nunc ad recentiores et quae ad urbanitatem nostram illustrandam faciant, ex eorum libris sumamus. Horum vero numerus est exiguis. Etenim praeter Vauassorem nemo est, qui super hac re disputauerit, nisi Gallum quendam hic referas qui, quam breuissime fieri potuit, huius urbanitatis vim atque naturam exposuit. Ea quae Vauassor e veterum auctorum locis collecta nobis exhibuit, exstant in nitido illo libello, quo ludicram illam dictiōnēm (stile bourlesque), quae suo tempore omnibus fere erat in deliciis, exagitauit: f) Franco-galli vero disputatio inserta est commentariis acadēmiae inscriptiōnum et bonarum artium. g)

§. IV.

Hac igitur dissertationis nostrae proflusione absoluta ad rem ipsam nos accingamus et primum videamus, quaenam huic voci urbanitatis vis atque potestas subiecta sit, ut deinde melius procedat nostra disputatio. Quodsi ex latinis audiamus eos, qui oratorem formandum atque instituendum curarunt, summam, quam ipsi commendant, orationis virtutem, *urbanitatis* nomine insignire solent: eandem vero virtutem graeci τύποι οὐσίας et τὸν οὐσίου plerumque nominant, et ea quae ipsis sunt τὰ οὐσιαὶ et εὐδοκευόντα eadem a latini *urbana* dicuntur. Urbanitatis vero notio prima petenda esse videtur ex ipso Cicerone, qui in epistolis ad Trebatium conscriptis saepius illius mentionem fecit. Primum igitur exemplum in Ep. ad Diu. L. VII. ep. 6. inuenimus: *tu modo, inquit, iftas iezptias et desideria urbanitatis depone, et deinde ep. 17: mihi interdum leuis in urbis et urbanitatis desiderio videbare.* E quibus locis hoc statim apparet, urbanitatis significationem primam atque simplicissimam esse hic adsumendam, qua nulla neque morum sit elegantia neque orationis virtus; sed vitam illam mollem atque incundam significat

f) Francisci Vauassoris de ludica dictione liber. ex edit. Io. Ern. Kappii, Lipsiae MDCCXXII.

g) Memoires de litterature tirés de registres de l'académie royale des inscriptions et belles-lettres. Tom. VIII. p. 327.

ficat, quae Romae regnabat et opposita erat illi austerae; du-
rae ac rigidae viuendi rationi, cui Trebatius in Gallia asfuefie-
ri non poterat. Quae significatio huius vocis, quamquam
proprie ad nostram caussam non pertinet, cum potissimum
de urbanitate morum et oratoris disputemus: tamen vel eam
et caussam hic afferre placuit, quia ex ea, tamquam ex fon-
te, nostra dissertatio petenda videtur. Cum enim vocem
ipsam spestemus, eam ab urbe deriuandam esse facile videbi-
mus, vrbis autem nomen saepius eminentiori ratione ad Ro-
mam totius imperii caput, referendum esse omnibus iam no-
tum est, ut exemplis ad hanc rem probandam nullo modo
egeamus. Cum vero Romae politissimi semper atque clarissi-
mi viuerent homines, qui caeteris imperii romani ciuibus et
morum suauitate et linguae elegantia multum praestarent, in-
de omnis et morum et iudicandi et loquendi elegantia ac ve-
nustas recte appellata est *urbanitas*, omneque facetum et molle
in sententiis et verbis *urbani* nomen accepit, quod quasi vr-
bem redoleret et consuetudine elegantissimorum hominum
petitum esse videretur. Eadem huius *urbanitatis* et *urbani*, quae
της αἰσθήτης et *της ἀρετῆς*, est ratio. Athenae enim totius Grae-
ciae et caput et exemplum, ad quod omnes reliquae ciuitates
se conformabant illudque imitabantur, cum et ipsae florerent
semper sapientissimis institutis, doctrinarum copia, humani-
tatis disciplina, suauitate morum, iudicandi et scribendi elegan-
tia et *ἀρετὴ*, inde *αἰσθήτη* summa nominata est virtus, quam
quis et moribus et iudicando et loquendo prae se ferebat.
Quare etiam factum est, ut summum et perfectum de pulchri-
tudine iudicium *sapor Atticus*^{b)} nominaretur atque cum Athe-
niis clarissimi semper oratores essent, omnes latini, qui quasi
dii in eloquendo aestimarentur, *Attici Romanorum*ⁱ⁾ dicerentur:
Attice dicere.^{k)} autem idem fere erat ac emendate et eleganter
loqui et *sermo Atticus*^{l)} perfectissima dicendi ratio appellata est.
His igitur de nomine *urbanitatis* et *αἰσθήτης* vniuersae praec-
missis

b) Quintil. Instr. Or. L. XII. c. 10. n. 19.

i) Ibid. eod. n. 39.

k) Ib. eod. n. 36.

l) Ib. eod. n. 39.

missis, pergamus ad ea, propter quae haec breuis instituta est disputatio, ut nempe v̄banitatis vim atque potestatem paulo v̄berius explicemus. Supra iam commemorauimus v̄banitatem, vniuerse si de ea loquamur, esse nihil aliud, quam eam et morum et iudicandi loquendique elegantiam, quae quasi v̄rbem redoleat atque liberalem quandam p̄ae se ferat speciem. Quodsi vero ibi v̄rbis mentionem fecimus non hoc efficeremus, vt doceamus, neminem, nisi Romae natum et educatum, potuisse v̄rbane loqui omnibusque quaecumque aut ageret aut diceret elegantiam quandam aspergere: cum multi, qui non vrbe aut nati aut educati essent, v̄rbane scripserint; sed v̄rbis nomen in hac de v̄banitate veterum disputatione hanc vim habere videtur, vt omnium elegantissimorum et politissimorum hominum conuentum atque consuetudinem notet, qua qui vtebantur, ad eorum elegantiam et venustatem tacite sese conformabant. Quia autem eiusmodi hominum confluxus Romae erat maximus, inde recte nomen *v̄rbis* ad eorum consuetudinem tractum est, qui in omni iudicio et dictis et factis erant elegantes atque venusti; cum ille, qui rure aut in prouinciis ortus esset, non illam morum elegantiam et loquendi suavitatem p̄ae se ferret, quam qui Romae, venustatis et venerum domicilio, v̄banitate quasi innutritus esse videretur. In ista vero v̄banitatis voce imprimis ad Romanam respici, patet e loco Quintil. Inst. or. L.VI. c. 3. n. 103; neque enim, inquit, *ei de r̄isu sed de v̄banitate est opus institutum*, quam propriam esse nostrae ciuitatis ait et sero sic intelligi coeptam, postquam v̄rbis appellationem, etiam si nomen proprium non adiceretur, Romanam tamen accipi sit receptum. Quae haec tenus de v̄banitatis notione disputauimus, perspicientur eo melius, si quae et ipsi et *τη αὐστηρη* opposita sint, docuerimus. Solent plerumque latini *v̄rbi* ex aduerso *r̄us* opponere, quod omnem reliquam Romanam circumiacentem terram notat, quae extra pomoerium sita erat: *v̄rbano* autem opponitur *ruficus* et ut ille est politus, elegans et in factis et dictis v̄rbis colorem p̄ae se ferens: sic hic dicuntur is, qui nunquam in liberalium ac ingeniorum hominum consuetudine versatus est, sed cum rure semper operi faciendo, seruis exercendis, agriculturae et paucia.

pecuariae operam dederit, ab illa venustate et lepore, qui vrbī proprius esse videbatur, plane erat alienus. Quae cum ita sint, facile pater *urbanitati* esse oppositam *ruficitatem*; et vt illa liberaliorem et venustiorem viuendi loquendique rationem significat: sic hac dura quaedam, inconcinnā, non barbara illa quidem, sed ab elegantia ac venustate vrbana remota, vitae ratio notatur. Quam ob rem Cicero etiam eius modi libros, qui sunt ieiune et sine villa elegancia compositi, *agrestes libros*¹⁾ nominat, quasi humanitatis et vrbanitatis plane expertes, et inde veniunt *mores rufici*²⁾, *rufici homines* et *agrestes*³⁾, *vita rufica* et *agrestis*. Quamvis vero saepius, praesertim si vrbanitati opposita est, rusticitas aliquam inconcinnam, inconditam ac minus elegantem morum et linguae rationem notet; haud raro tamen *ruficus* homo ille dicitur, qui vitae politae illius ac vrbanae, qua omnia specie liberalioris ingenii et ingenui ortus se produnt, est ignarus et qui fugit consuetudinem politiorum hominum omninoque eorum, qui et insigniori loco nati vrbanisque moribus imbuti sunt. Quae huius vocis significatio in primis in clarissima illa epiftola Ciceronis ad Luccium⁴⁾ conscripta locum habet, vbi *pudor subruficus* recte et eleganter ea Ciceronis dicitur morum inconcinnitas, qua non auderet, vt homines humili et minus claro loco nati solent, ea cum fiducia quadam amico suo exponere, quae ab ipso expectaret; sed subtimidus et subrubicundus ea coram ipso dicere voluisse, at nunquam dixisset. Quam *tau ruficus* significationem si hic transferamus, id facile appareat, vrbanitatem non solum elegantia ac gratia quadam morum et linguae contineri; sed ingenua omnino et liberali indole, quae se vultu honesto, ingenuo, subaudaci, incessu gratiae pleno, linguae venustate et tota hominis cum aliis viuendi ratione prodat. Quemadmodum vero apud latinos *vrbano* opponitur *ruficus*: sic etiam apud graecos *τη αγρονομικη οἰκείωσις* et

¹⁾ Or. L. II. c. 3.

²⁾ Cic. pro Rosc. c. 27.

³⁾ Phizipp. 10, c. 12.

⁴⁾ Ep. ad Div. L. V. ep. 12.

et τῷ ἀγόρευτοις. Cum vero αἰσθόμενοι eximiam aliquam elegantiam omnibus in rebus notet, quae Athenarum quasi colorem et speciem praeferat et αἴσθομενοι ille recte dicatur, quem ἐν τῷ αἴσθετο natum et educatum omnis viuendi ratio vindicat: sic ἀγόρευτος morum quandam inconcinnitatem indicat et ἀγόρευτος dicitur is qui est σκανδαλούς τοὺς τρόπους. Etenim ἀγόρευτος, ut Stobaeus interpretatur, ἐστιν αἴσθετος των καταπολεμών ἐθνῶν νομομάνων. Ista vero et αἰσθόμενοι et urbanitas latius patet et omnia fere, quae τῷ πηγέπον constituant, complectitur: quare his grammaticis obseruationibus finitis ad ipsam rem explicandam progrediamur.

§. V.

Ex his, quae hactenus de vi et usu vocis urbanitatis disputauimus, iam patebit, quam male caussam suam agant ii, qui, de hac virtute cum praecipiunt, eam tam angustis et artis limitibus coercent, ut illam foli elocutioni adstringant neque latius serpere patientur. Ne quis vero miretur et temeritatem aut nimiam licentiam nostram reprehendar, quod latius urbanitatis vocem sumamus, quam veterum auctorum exemplis demonstrari posse videatur: necesse erit, ut priusquam ad ipsam morum urbanitatem explicandam progrediamur, paucis ostendamus, latissime ipsis veteribus hanc vocem patuisse eamque ad omnes fere virtutes traxisse. Quodsi autem ex latinis audiamus eos, qui de urbanitate praecipiunt, vix inuenies quemquam ante Quintilianum, qui huic voce tam copiosam tribuerit significationem, ut etiam urbanitatem et elegantiam morum in le contineret. Auctores enim omnes fere, de urbanitate cum disputant, vix sibi ipsi constant et vario saepe vrintur sensu. Cuius rei caussam hanc esse arbitror, quod sequentibus demum temporibus significationem deteriorem illud vocabulum acceperit, antea autem honestum semper fuerit. Quintilianus igitur primus fuisse videtur ex iis, qui de urbanitate ex instituto disputarunt, qui hanc vocem et latius sumserit et accuratius explicauerit. Nam meo quidem iudicio, inquit, illa est urbanitas, in qua nihil absolum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque sensu, neque verbis, neque or-

gestuue possit deprehendi. Non solum vero Quintillianus
 latius serpere istam vocem docuit, sed iam ante ipsum Cice-
 ro. Quamvis enim in libris eius rhetoricos pauca huius rei
 inuenies indicia; tamen in epistolis occurunt loca, e quibus
 appetet Ciceronem istam urbanitatem non tam angustis cir-
 cum scriptisse limitibus, quam plerumque fieri solet. Insignis
 ad hoc probandum est locus ille ex epist. ad Diu. L. III. ep. 7.
Quaeſo, etiamne tu has ineptias, homo (mea ſententia) ſumma
prudentia, multa etiam doctrina, plurimo rerum uſu, addo urbanitatem,
quae eſt virtus, ut Stoici rectiffine putant, ullam Appietatem
aut Lentilitatem valere apud me plus, quam ornamenta virtutis,
existimas? Quae Ciceronis verba ſi conſideremus, videmus, illum
urbanitatem virtutem nominare, quod aliis in locis non
inueniemus; cumque haec noua videretur significatio, a Stoicis
illam repetendam eſſe, statim ſubiicit. Si autem ipſos au-
*diamus Stoicos, quenam huic voci vis atque potestas ſubie-
 cta ſit, facile patebit, eos ſummam virtutem et morum ele-
 gantiam appellaſſe urbanitatem ſive ἀρεστητα. Opponunt enim*
*τοις ἀρεσι τῷ ἀμάδει et ut ipſis ἀρεσθῆται erat ille, qui omni-
 bus virtiis erat deditus: ſic ἀρεσι eum nominare ſolebant, qui*
*ſumma erat virtute praeditus. Cum vero huius vocis signifi-
 cationem, quae Stoicis ſolennis erat, optime illuſtrauerit Victo-
 riū ad hunc locum Ciceronis atque e Plutarcho de audiendis
 poetis locum clarissimum excitaueit, eundem transferre huc lu-
 bet, quia multum ad cauſam noſtrām probandam faciet: πολλὰ
 πάντα, inquit Plutarchus, τοῖς Στοίνοις χαρέων φραζουσι μήτε τι
 φαυλὸν ἀρετὴ προσειναι, μήτε κακόν χεινον ἀξιειστιν ἄλλα πάντα
 μὲν ναὶ ἐν πάσιν ἀμαρτιῶν εἶναι τοι ἀμάδη, περὶ πάντα δὲ οὐ πα-
 τορθεῖν τοι ἀρεσι. Praeter hunc vero locum, qui vel ſolus
 ſufficiat ad probandum, quam late apud veteres huius urbanitatis
 vis fuſa fuerit, dignus eſt, qui adferatur, alter ille, quem
 ex epift. Cic. ad Diu. L. III. ep. 9. excitabimus: *vix tandem*
legi litteras, inquit, dignas Appio Clodio, plenas humanitatis, offi-
cii, diligentiæ. Adſpectus videlicet urbis tibi tuam priſtinam urba-
nitatem reddidit. Quanta igitur eſt virtus illa urbanitas? quan-
to honore digna? quam cupidius ab omnibus expetenda?
 etenim ſummas complectitur virtutes, quae a Cicerone ipſo*

tanquam *urbanitatis* partes nominantur, nimirum humanitatem, officium, diligentiam. Hanc vero *urbanitatem* ante Ciceronis tempora a latinis non ad mores relatam esse clarissime illa Ciceronis verba demonstrant^r: *primum te hominem non solum sapientem, verum etiam (ut nunc loquimur), urbanum, non arbitrabar genere isto legationum delectari.* Cum hic Cicero haec: *vt nunc loquimur*, addat, ipse hanc vocem nouo suis temporibus sensu acceptam esse innuit. Atque hic facillime controuersia illa componi poterit: fueritne *urbanitas* vocabulum nouum et a Cicerone primum latinitate donatum? quam qui affirmare solent quaestionem, sequuntur hac in re in primis Quinctilianus auctoritate, qui *fauorem et urbanum* Ciceroni noua fuisse credit^q. Ex ipso autem Ciceronis loco, quem Quinctilianus excitauit, hoc nunquam efficiet, quicunque *urbanum* nouum esse censet. Verbum ipsum non fuit nouum, sed verbi significatio, quae, ut supra ostendimus, e philosophia Stoica petenda est.

§. VI.

Postquam igitur satis superque demonstrauimus, huius *urbanitatis* vim latius patere, quam vt sola scribendi et loquendi elegancia coerceatur, ad *urbanitatem* morum explicandam pergamus. Quod si autem veterum loca ea, quae de *urbanitate* praecipiunt, conferamus in vnum locum, vniuersitate hoc obseruare licet: esse hanc quandam elegantiam in existimando, agendo et dicendo totaque cum aliis viuendi ratione, quae se cultu, incessu, motu denique corporis exferat, qua in omnibus vel minutissimis rebus ita simus composti, vt liberalis ingenii atque urbanae educationis ac consuetudinis cum politis hominibus vestigia statim omnium oculos feriant, nosque eorum hominum numero eximant, qui rusticitatem atque seruilem abiectamque natalium conditionem suis moribus prodant. Cum vero vniuersitate graecorum το πεπτον omnia illa comprehendat, quae ad morum *urbanitatem* pertinent, facile vel nobis non admonentibus patet, quam late fusa sit ista elegan-

^r) Ep. ad Diu. L. III. ep. 8.

^q) Inst. Or. VIII. c. 3. n. 34. et 35.

gantia vitae. Ne quis autem nos accuset, in explicanda morum urbanitate quaedam sumfisse, quae rationibus idoneis confirmari nequeant, paucissimis verbis exponemus causas, quae nos ad hanc sententiam amplectendam impulerunt. Primum nostrum argumentum, quod nos in primis commouit, ut το πρεπεντον urbanitatis sedem praecipuam constituemus, iam supra commemorauimus, cum hanc vocem e philosophia Stoica illustraremus. Deinde vero Ciceronis ipsa auctoritas nobis vel maxime persuasit, ut hanc morum urbanitatem paullo latius serpere pateremur; qui in Offic. L. I. c. 35. το πρεπεντον ita interpretatur, ut commode ad hanc morum elegantiam referri posse videatur: *Sed quoniam decorum illud, inquir, in omnibus factis et dictis, in corporis denique motu et statu cernitur, idque positum est in tribus rebus, formositate, ordine, ornatu ad actionem apto: difficultibus ad eloquendum, sed satis erit intelligi.*

§. VII.

Si vero lubet ea, quae de urbanitate morum supra a nobis disputata sunt, paullo accuratius excutere atque in eius naturam inquirere, a simplicissimis rebus ordiamur. Solet plerumque omnis ingenii liberalioris homo et qui in politiorum hominum consuetudine versatus est, tantam omnibus in rebus, quascunque agit, sibi elegantiam ac venustatem comparare, ut omnibus, quibuscum viuat, se probet atque eorum benevolentiam sibi conciliet. Veteres autem non tam negligentes erant in ipso puerorum incessu, voce, omnique praeterea re conformanda atque corrigenda, quae ad incunditatem et suavitatem morum faciebat plurimum. Quare etiam factum est, ut ipsi a pueris elegantiae cuidam in incessu, pronunciatione et motu corporis atuesierent, quibus nostros elegantissimos homines longe superabant. Ad quod etiam accedit hoc, quod, Romae et Athenis qui viuerent, quotidie in celebritate atque in consuetudine elegantissimorum hominum versarentur, quibus rebus factum est, ut sensim venustatis elegantiaeque gusto quodam imbuerentur; taciteque sese ad eorum elegantiam et venustatem componerent. Ita vero elegantia et gratia omni vacabat semper affectationis studio nihilque in ipsis ho-

minibus erat durum, neque absolum, neque peregrinum aut agreste, sed omnia tacitam quasi prae se fecerant eruditionem ex conuersatione doctorum sumtam. Atque haec ipsa tacite et furtim se commendabat omnibus ita, ut vere Tibulli illa verba, quibus puellae iucunditatem morum praedicat, huc transferre possis:

Illam, quidquid agit, quoquo vestigia mouit

Componit furtim, subsequiturque decor. a)

Et Quintilianus ipse, qualis haec morum elegantia esse debeat, optime docet: *neque enim*, inquit, b) *gestum componi ad similitudinem saltationis volo, sed subesse aliquid ex hac exercitatione puerili, unde nos non id agentes furtim decor ille dissentibus traditus prosequatur.* Neminem credo fore, qui dubitet, quin haec omnia, quae de urbanitate morum haec tenus disputauimus, a veteribus etiam pro urbanitatis parte habita fuerint: quodsi autem quis haec in dubium vocauerit, has nostras de hac morum elegantia obseruatunculas ex ipsis veterum auctorum locis confirmabimus. Solent ad unum omnes, ut supra iam a nobis commemoratum est, urbanitati rusticitatem recte opponere; in primis vero Theophrastus *ἀγενιαν* nobis sic descripsit, ut ex ipsa rusticitatis notatione hanc morum elegantiam cognoscere optime possumus. *Ἀγενιαν* autem ipsi est ea morum inconcinnitas, qua aliquis neque loci, neque temporis, neque personarum, quibuscum viuit, villam habet rationem. Nititur vero ista rusticitas, ut recte censet ille morum praceptor elegantissimus, *ἀμελειας ποχημον*, qua quis decori plane est immemor, neque in dictis aut factis elegantiam quandam obseruat: eamque ob caussam recte graeci huic *ἀγενιαν* contrariam fecerunt *την ποσμοτητα*, quam aliquam urbanitatis morum partem esse arbitror. Κοσμοτης enim dicitur *ἐπισημη περι το πρεπον εν κινησι ησ σχηματι σωματος η ευταξια περι σχηματος ησ πονηρος του σωματος*. E quo loco patet esse hanc *ποσμοτητα* elegantiam aliquam, quae potissimum spectatur in gestu, habitu ac motu denique corporis; eius vero rusticitatis exempla Theophrastus multa exhibet, ut, si quis in concessionem proditurus, vi-

nun

a) Tibull. Carm. L. III. c. II. v. 7.

b) Institut. Or. L. I. c. II. n. 16.

num medicatum bibat aut summa voce exclamet aut denique οὐαβεβλημένος οὐα τοι γοράτος ναδίζαει, ὡσε τα γυμνα αὐτου φαιναθαν. Atque haec, quae de vrbanitate in incessu, statu et motu corporis omni e Theophrasto illustrauimus, confirmat etiam Ciceronis auctoritas. Postquam enim de naturae summa cura differuerat, quae quam maxime dedit operam, ut partes corporis minus honestas contegeret et celaret, hanc naturae sapientiam nobis imitandam proponit ¹⁾: *Hoc autem, inquit, naturam sequamur et omne, quod abhorret oculorum auriumque approbatione, fugiamus. Status, incessus, sessio, accubitio, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum.* Quibus in rebus duo maxime sunt fugienda: ne quid effeminatum aut molle et ne quid durum aut rusticum. Cicero igitur ipse *το rusticum iis rebus omnibus* opponit, quas supra ad vrbanitatem referendas putauimus; ipse decorum in omnibus istis rebus obseruandum esse docet. Quare etiam Quintilianus ²⁾ *ruficas manus* eas recte nominat, quae in actione ipsa elegantiam atque venustatem nullam produnt: *ne illos quidem reprehendendos putem*, inquit, *qui paullulum etiam palaestricis vacauerint* — — *ut recta sint brachia, ne indoctae ruficae manus, ne status indecorus, ne qua in proferendis pedibus inscrita, ne caput et oculi ab alia corporis inclinatione diffideant.* Quae cum ita sint neminem credo fore, qui nos propterea reprehendat, quod ad omnem hominis habitum externum vrbanitatem retulerimus. Si vero quid addere licet, hoc adiiciamus, hanc ipsam morum elegantiam contineri vestitu mundiriaque non odiosa, sed grata quadam negligentia coniuncta. *Adhibenda est*, inquit Cicero ³⁾, *munditia non odioſa, neque exquisita nimis; tantum quod fugiat agrestem inhuanumque negligentiam. eadem ratio est habenda vestitus.* Erat haec vniuersa fere veterum opinio, hominis ingenium et mores ex ipso corporis motu et habitu spectari posse, quare graeci *τω εὐσχημονειν* maxime dederunt operam et bene Theophrastus admonet rusticum ipso in vestitu esse sordidum atque inconcinnum. Quam ridicula enim et ab omni vrbanitate remota

est

1) Offic. I. 34.

2) Inst. Or. L. I. c. II. n. 15. 16.

3) Offic. I. 34.

est illa τον ἀγρομον nota, μεζω του ποδος οποδηματα φορε? quam rusticitatem optime descripsit Horatius ^{u)}:

minus aptus acutis

Naribus horum hominum: rideri possit, eo quod

Rusticus tonla toga defluit et male laxus

In pede calceus haeret.

Quid? Plato hanc quoque notam hominis minus ingenui nec liberaliter educati constituit, quod negligens sit in ipso vestitu neque sciat: αναβαλλεθαι ἐπιδέξια ἐλευθερώς.

§. VIII.

Veniamus nunc ad alteram vrbananitatis morum partem, quae existimando et diiudicando potissimum cernitur. Haec vero pars quam latissime patet et vereor, ne multa dicendo de ea fere nihil dicam: infinitae enim est obseruationis, et melius omnis ista in existimando vrbananitas sentiri, quam verbis explicari poterit. Vrbananitas ista atque elegantia morum vniuersaliter ingenium liberale ac naturam ingenuam postulat et quo quis est nobiliori locus natus et in politiorum hominum conuerudine educatus, eo magis se ad eorum et iudicandi et loquendi elegantiam componit. Ut enim qui in sole ambulant, solis colorem ducunt, licet huic rei nullam dederint operam: sic etiam ii, qui perpetua hominum sapientissimorum confuetudine vtuntur, liberalem aliquam et iudicandi et existimandi facultatem nancisci solent. Iudicium autem illud vrbananum et elegans hisce potissimum rebus cernitur: si omnia cum venustate et delectu diiudicemus et in rerum naturam inquiramus sic, vt non solum verum a falso distinguamus, sed etiam cum lepore et festiuitate ingenii de illis rebus differamus. Quantam autem ad iudicandi elegantiam mores habeant vim, quantumque referat in omni re indaganda, num quis in politiorum aut sordidorum hominum consuetudinem venerit, experientia optime docet. Quodsi enim homines plebeios et rusticos de rebus iudicantes audimus, quaenam, quaeſo insunt eorum iudiciis ridicula et absurdia? nonne ita est, vt illa

^{u)} Serm. L. I. S. 3. v. 29.

la ipsa diiudicandi ratio speciem aliquam illiberalem ac minus ingenuam prae se ferat? non solum enim nihil veri saepius inest eorum iudiciis, sed vitam ipsam rusticam ac sordidam redolent. Luculentissimum huius rei exemplum apud Theophrastum inuenies: solet enim rusticus de iis, quae sunt odorifera, ita iudicare, ut το μυρεν ἀνδει τον θυμον ηδον εξεν-
censeat. Quantum autem vrbannum illud iudicium complectatur, vix verbis assequi possumus, neminemque melius de hac re iudicare posse arbitror, quam, qui veterum libros legerit eorumque liberalioris ingenii vestigia indagauerit. Quanta enim est elegantia in rebus diiudicandis in scriptis *Ciceronis*? quam liberalis ingenii indoles elucet e *Nepotis* libello, qui plerumque pueris legendus relinquitur? quantum venustatem spirant illa scripta *Xenophontea*? Haec vero, quae in rebus diiudicandis maxime latet vrbanitas, eo melius perspicietur, si ea, quae Cicero de inepto differit, in eum, qui absit ab omni et existimandi et iudicandi elegantia, transtulerimus ^{a)}. Quem enim nos inquit, ineptum vocamus, is mihi videtur ab hoc nomen habere ductum, quod non sit aptus. Idque in sermonis nostri consuetudine perlate patet. Nam qui aut tempus quid postulet, non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum quibuscum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus est, is ineptus esse dicitur. Quamuis vero haec vrbanitas continetur maxime iudicio aliquo liberali et eleganti; exserit se tamen in primis modestia, prudentia, probitate, qua de nobis aliisque sentimus, ut nihil, quod alterius voluntatem laedat, sine praemunitione dicamus omnibusque rebus abstineamus, quae alterius animum offendere posse videantur. In hac re in primis regnat Cicero, ex omnibus enim eius scriptis summa elucet existimandi prudentia et modestia. Quam modeste enim sentit de suis meritis in epistolis ad Lentulum? quam bene memor est in omnibus sententiis τον πρεπειαν, εὐναγριας, εὐταξιας? Quantam prudentiam adhibet, cum se aliorum societati in re quadam adiungit? Quam venustum est illud iudicium in Ep. ad Diu. L. VII. ep. XXXI? Omnibus enim,

^{a)} Or. L. II. cap. 4.

enim, quibus antiquam illam gloriam Atticam tuendam suaderet, se postponere non erubescit: *vides enim*, inquit, *exaruisse iam veterem urbanitatem, ut Pompeius suo iure posse dicere, nisi nos pauci retineamus gloriam antiquam Atticam.* Ergo *is tibi, nos ei succedimus.* Quam optime personarum dignitatis rationem habet? quam adhibet cautionem, ne quemquam suis sententiis, aut dictis offendat? Tanta igitur cum vis sit urbanitatis, ut et mores nostros incundiores reddat atque iudicandi et existimandi facultatem acuat, ingenii liberalitatem promoveat, quis est, qui eam non exspectetur? Tantam cum nobis afferant humaniorum litterarum studia utilitatem, quis est, qui ea non cupide amplectatur? Thesauri tot ac tanti eruditioinis, elegantiarum, leporis, venustatis, morum suavitatis, cum latenter in veterum libris, quis erit tam supina negligentia, ut non diurna nocturnaque manu verset exemplaria graeca et latina? Quis non vnius fere Ciceronis libros penitus deuorando putet? Hanc vero morum urbanitatem, quam nobis conciliat veteranum auctorum lectio, nullo e loco grauius commendare posse videor, quam si S. V. Ernesti verba hic afferam: „quoniam ab humanitate litterae nostrae nomen habent, cuius haec vis est, ut, quicquid humana natura dignum est, quicquid ingenium, honesti sensum et studium alit et auget, quicquid rerum magnarum amorem et cupiditatem inspirat, id omne litterarum humaniorum disciplina contineatur, ut emolliat mores, nec serum quemquam esse finat: eas quoque virtutes ex auctoribus graecis et latinis, in primis Cicerone, perttere debemus, quibus vel maxime humanitatem vulgo omnes iudicant, ut omnibus nos modestos, comes, facilesque præbere, neminem factis, verbis, offendere, nemini in villa re non iniusta pertinacius repugnare, etiam infimos quosque liberaliter tractare discamus: quarum virtutum optimas magistras esse epistolam Ciceronis puto.”

§. VIII.

Quamuis vero haec morum urbanitas in omni fere vita nostra locum habeat omnibusque in rebus nos urbanos

y) In praef. aurea ad Cic. opera.

nos praestemus, necesse est: tamen vel in primis cadit haec elegantia in sermones eos, quos cum aliis recreandi animi causa habemus et vniuersitate in sermones familiares. Atque ut his praecipue urbanitatem aliquam tribueremus, commouit nos quoque veterum auctoritas: sed hac in re paullo altius res repetenda videtur. Nihil sapientius atque ad hominum utilitatem accommodatius a natura factum et institutum videtur, quam ut omnem vitam nostram in otium et negotium distinguatur. In utraque vero re a sapiente modus adhibendus est, ne nimio otio dissiliamus, neque perpetuo et nimio labore viribus exhaustur. Cum vero nulla in re magis peccare soleant homines, quam in eo, ut nullum modum in rebus teneant, neque omnibus rebus sic utrantur, ut natura, optima vitae magistra, nobis prescripsit: tum in primis in otio et negotio sunt nimii et minus temperantes. Quam plerorumque hominum prauitatem veterum sapientissimi cum intuerentur, ad haec in primis respicere iubent legis latorem, ut homines edoceant, quomodo se gerant, ne utriusque rei modum excedant ^{a)}. Quae cum ita sint non male nobis consuluit Aristoteles ^{aa)}, quod, quales nos in ἀναπονεῖ gerere debeamus, praeceperit, et virtutes et vitia, quae sint in hac re fugienda, recensuerit; istas vero virtutes esse ἐμιλητικας ipse fatetur. Οὐτος δέ, inquit, καὶ ἀναπονεῖς ἐν τῷ βίῳ παῖς ἐν ταῦτῃ διαγωγῆς μετα παιδίας, δοκει παῖς ἐνταῦθα εἶναι ὅμιλοι τις ἐμμελῆς παῖς οἱ αὐτοὶ λεγεν παῖς ὁ. In ipso autem otio siue ἀναπονεῖ recte utenda duo quasi virtus constituit, alterum quod peccat excessu, alterum defectu: περὶ ταυτα, inquit, ἐστι ὑπερβολὴ καὶ ἐλλεψίς του μεσου. Inter hoc vero τὸ πάτερ ὑπερβάλλον et τὸ πάτερ ἐλλείπον medium quandam virtutem interiectam fecit; quae modum optime tenere videretur eamque εὐτραπελίαν nominavit, quae virtus in primis latinorum urbanitati respondet. Quodsi enim et hunc aliosque Aristotelis locos, quibus huius εὐτραπελίας mentionem fecit, conferamus: statim apparebit, esse virtutem quandam ingenii et cinnitatem morum, qua et in factis et in dictis simus venusti atque festiu, omnibusque iis probemur, quibuscum viuamus.

C 2

Qua-

2) Aristotel. Politic. L. VII. c. 14.

aa) Nicomach. L. IIII. c. 14.

Quare Cicero Volumnium illum εὐτραπελὸν nominat ^{bb)}, qui in iaciendis dictis erat elegans atque venustus et Aristoteles ipse hanc vocem ita interpretatur, ut εὐτραπελός idem fere sit ac εὐτέρος, qui est elegantissimis moribus et ad omnium, quorum consuetudine vtitur, ingenium sē accommodet. Quae vero εὐτραπελία quamquam, vt ipsa vrbanitas, late patet, tamen vel in primis tribuitur isti hominis facultati, qua cum venustate et lepore quadam in familiaribus sermonibus iocos afferamus et modum in ista re teneamus ita, vt neminem offendamus aut aliis deridendum proponamus. Haec, quae de εὐτραπελίᾳ obseruata a nobis sunt, licet et ex dissertationis Aristotelis verbis et ex vitiis, quae huic virtuti contraria fecerit, cognoscere. Quod igitur ad verba Aristotelis, quibus de hac elegantia vtitur, attinet, ita sunt comparata, ut hanc virtutem vel in primis ad iocandi facultatem trahat, οἱ δὲ, inquit, ἐμμέλως παιδεῖτε εὐτραπελούς προσαγορευούσα, οἵοις εὐτέροις, vbi illud τα παιζεῖν ἐμμέλως idem esse videtur, quod Cicero.^{cc)} iocandi genus elegans, vrbanum, ingeniosum et facetum appellat. Cuius rei exempla quamuis fatis multo hic afferri possint; haec tamen in illam nostrae dissertationis partem reuiciamus, vbi de vrbanitate sententiuarum dicendum erit: etenim cum hic loci de vrbanitate et εὐτραπελίᾳ loquamur, nobis de ea tanquam facultate iocandi sermo est, de iocis ipsis deinde videbimus. Non solum vero hoc in loco Aristoteles εὐτραπελία recta atque prudenti iocandi ratione contineri dixit; sed etiam alibi saepius et in primis Rhetor. L. II. cap. 12, vbi de moribus iuuenium disputans huius capituli hunc finem facit, ut iuuenes φιλογελῶται esse demonstret idque verbum per εὐτραπελούς interpretatur, η γαρ εὐτραπελος, statim subiicit, πεπαιδευμένην ιδεις ἔστι, quam si liberalem et eruditam iocandi rationem dixeris, non male quidem hanc vocem interpretari videaris. Con uitium enim omne, si liberale est, si cum artificio quodam et lepore sermoni aspergitur, exhilarat omnes, quibus cum sumus, et ipsis Catonis frontem explicat: iocus vero illiberalis et qui neque temporis, neque personarum dignitatis et caritatis rationem haber-

ve-

^{bb)} Ep. ad Diu. L. VII. ep. 32.

^{cc)} Off. I. 29.

vehementer lacestere solet alios eosque offendit. Quae igitur
 ὑβεσι, nisi sit πεπαιδευμένη, urbanitatis et εὐργαπτελας nomen non
 meretur; sed potius *dicacitas* et *iocus scurrilis* appellanda erit.
 Atque haec, quae de εὐργαπτελας notione vera ex ipso Aristotele obseruauimus, comprobat etiam Ciceronis et Quintilianii
 auctoritas, qui omnes iocos, nisi sint liberales et erudit, ab
 omni sermone remouendos putant; *Maledictio*, inquit Cicero pro
 Coelio, *nihil habet propositi praeter contumeliam* (ὑβενη), *quae si pe-*
petulantius (tanquam ab αἰπαδεύτω plane et ἀρετώ) *iaſtatur, conui-*
tium, si facetius (si est πεπαιδευμένη) *urbanitas nominatur, et L. II.*
c. 56. de Or. habendam esse in vtendis bonis diſtis rationem
docet hominum, rei, temporis, ne quid iocus de grauitate de-
cerpat. Atque haec ipsa Quintilianus quoque iisdem fere
verbis comprobat dd): ea, quae dicit vir bonus, inquit, omnia
salua dignitate ac verecundia decent. Nimum enim risus pretium
est, si probitatis impendio constat. Ista ὑβεσι πεπαιδευμένη autem
non solum hoc postular, ut iocus liberalis et eruditam ali-
quam speciem prae se ferat; sed etiam, ut quis modum te-
nere bene sciatur. Quam difficile vero hoc sit homini alias
non dicaci et petulant, experientia ipsa docet; qua re verissi-
mum mihi illud Ennii viderur: flammar a sapiente facilius
ore in ardente opprimi, quam bona dicta teneat. Cum igitur tam
faciles atque proni sint homines ad genus iocandi illiberale et
scurrile, optime Cicer. Off. L. I. c. 28. docuit: ipsum iocan-
di genus non profsum, nec immodestum, sed ingenuum, et
factum esse debere. A qua Ciceronis sententia non ab ludit
illa Stobaei: τῷ γελοῖῳ καθάπερ αἷς πεφεισμένως δει χει-
δει. Sed reuertatur, vnde digressa est, nostra oratio. Εὐτρε-
πελας illam in primis liberali atque ingenua aliqua ratione io-
candi contineri ex ipsis Aristotelis verbis demonstrauimus;
nunc veniamus, ad id, ut eadem ex vitiis, quae huic virtuti
*sunt contraria, doceamus. Supra a nobis iam commemo-
 ratum est, in ipsis iocis vitandum esse in primis το κατα το ὑπερ-*
βαλλον et το κατα το ἐλλειπον, utrumque enim quam maxime
urbanitati aduersatur. Alterum enim, quod τη ὑπερβολῃ περι το
γελοια continetur, βαμολοχια ab Aristotele recte appellatur,
 C 3: quae

dd) *Inſt. Or. L. VI. c. 3, n. 34.*

quae videtur esse nimia risus affectatio, quare etiam ii, qui in ridiculis modum excedunt, βωμολοχοι et φορτικοι nominantur, qui semper risum mouent, neque honestatis rationem ullam habent: alterum vero illud vitium, quod τη ἐλλεψει του μεσου continetur, η ἀγρονικα recte dicitur. Solent enim plerumque rustici plane esse inepti et inutiles ad eiusmodi liberales iocos sermoni admiscendos et ipsi irascuntur iis, qui liberalem et ingenuum iocum in eos iaciunt, quare ipse Aristoteles eos συλληγεις, quasi intractabiles homines, nominat, ο ἀγρονομος, inquit, εις τας τοιωτας ὄριδας ἀχρειος. Inter hanc vero βωμολοχιαν et ἀγρονικαν interiectam fecit Aristoteles την εὐτραπελιαν, quae igitur recte dicitur ea ingenii virtus, qua non plane abstineamus iocis, quod esset rustici atque ἀπαιθεντων, sed omnibus nostris dictis aspergimus sales atque facetias liberales et ingenuas. Hanc vero εὐτραπελιαν a nobis recte ad mores relatam esse, idem ex Aristotelis dissertis verbis cognosci poterit: οι δε ἐμμελως παιζοντες εὐτραπελοι προσαγορευονται, οιον εὐτραποι, γαρ του ήθου αι τοιωτας δονουσι κινησις ειναι, ωσπερ δε τα σωματα ειν των κινησεων κρινεται, οιτω και τα ιδια. Huic porro εὐτραπελια repondet aliqua ex parte η ἐπιδεξιοτης, quam Aristoteles huic virtuti adiungit: τη μεσην, inquit, εξει (qua nimurum in iocis simus, neque scurræ, neque rustici) ομοιον και η ἐπιδεξιοτης εσι. του de ἐπιδεξιου, subiicit, εσι τοιωτα λεγειν και ακουειν, οια τω επιεικει και και τω ἐλευθερω αδιμοτει. Quodsi igitur aliquod discrimen inter εὐτραπελιαν et ἐπιδεξιοτητα constituerendum est, hoc contingit illud arbitror, vt haec in omni sermone locum habeat illudque maxime caueat, ne quid libero et ingenuo indignum loquatur; illa vero sola ad iocos sit referenda atque huic rei in primis operam det, ne scurrilia, illiberalia et obscoena sint ea, quae in alios risus mouendi caussa iaciuntur: in eo vero utraque orationis virtus conueniunt, vt honestatis atque decori ubique rationem habeant. Ex his vero, quae de εὐτραπελια et urbanitate disputauimus, vel nobis non admonentibus facile patet, nullum neque in vernacula, neque in gallica lingua, esse vocabulum, quod huic virtuti ex ase respondeat. Sunt quidem, qui arbitrentur, illam virtutem, quam nostri appellant *Artigkeit*, huic urbanitati ex ase respondere: qui vero, cum haec

haec profiteantur, equidem valde metuo, ne his suis obseruationibus omnibus prodant, se vix ac ne vix quidem vim atque potestatem huius vocis tenere. Etenim si Aristotelem et Quintilianum audiamus, alter illam virtutem in primis liberali ac ingenuae iocandi rationi tribuit: alter vero omne, quod habeat proprium quendam gustum vrbis (nimirum Romae), *urbanitatis* nomine venire, differte docet. Nos vero, cum aliquem hac virtute, quae nobis dicitur *Artigkeit*, ornatum esse dicimus, neque ad certam aliquam vrbem respicimus, neque id postulamus, ut mores atque conuerandi ratio eiusmodi hominis liberalem ac tacitam aliquam p[re]ferat eruditio[n]em; sed eo sumus contenti, si quis moribus est instructus iis, quibus se aliis facile probet, neque plane inconcinnus et sordidus reperiatur: quisnam vero ab eiusmodi homine elegantiam iudicandi et existimandi, iocandi rationem ingenuam, pronunciationis suauitatem caeteraque omnia, quae vrbanum hominem constituant, postulabit? Eadem quoque tenenda vindentur de vocibus istis gallicis, quae huic virtuti plerumque respondere dicuntur. Quod si enim quidam hanc nostram urbanitatem et εὐτρεπελίαν cum his comparant, quae Galli *politesse* sive *galanterie* appellare solent, illi vehementer errant: cum haec virtus vix cum vocibus istis gallicis conferri possit, saepiusque significationem ab his plane diuersam habere videatur. Sed non est, quod accuratius hoc excuriamus, pergamus potius ad rem, quae maioris momenti videtur.

§. X.

Cum illa *urbanitas* atque εὐτρεπελία praecipue, ut supra commemorauimus, eo cerneretur, si quis iocum, liberalem et ingenuum, immisceret sermoni suisque dictis omnibus gratiam quandam aspergeret: magnam propterea laudem naucti sunt ii, qui ea virtute instructi putarentur. Huius vero laudis atque honoris species pluribus huius εὐτρεπελίας cupiditatem quandam iniecerat et mox proueniebant homines, qui hanc virtutem atque elegantiam vbique affectarent et omnibus, quibus cum viuerent, se hilares atque facetos praebere studebant. Exinde vero factum est, ut honestum illud vocabulum

a

a nonnullis ad vitium illud, *dicacitatem* et *scurrilitatem*, trahetur. Atque huius vocis significatio deterior iam iis temporibus innotuit, cum εὐτραπέλιο adhuc tanquam virtus ab omnibus commendaretur. Aristoteles enim illo ipso loco, quem supra iam excitauiimus, hanc deteriorem vocis significationem protulit eandemque huius rei caussam addit, quam paullo antea commemorauimus: ἐπιπολαζόντος δε, inquit, του γελοιου καὶ των πλειστων χαιροντων τη παιδιφ, καὶ τω σκωπτεν μαλλον ή δει, καὶ οι βωμολοχοι εὐτραπελοι προσαγγευονται. Quare etiam in Glossariis ita explicatur εὐτραπελιο, ut idem fere sit ac μαρελογιο, κουφοτης, απαιδευσις, παρα το εὐτραπελιο τον λογον. Equidem is non sum, qui negem, fuisse iam a nonnullis Atticis scriptoribus hanc deteriorem vocis εὐτραπελιο significationem adhibitam: sequentibus tamen temporibus demum frequentior fuisse videtur. Quare etiam Paullus ad Ephes. V. 4. istam scurrilem et humilem dicacitatem prohibet; neutiquam vero illam, quam Aristoteles nobis imirandam proponit, εὐτραπελιον et ἐπιθεξιστητα; etenim ipse ad Col. IIII. 6. ὁ λογος, inquit, ὑμων παντοτε εν χαριτι. ἀλλατι ἡρτυμενος, εἰδεναι πως δει ὑμας ενι εἴκασω αποκρινεθαι, quae verba si recte interpreteris, non prohibit, sed suadent potius illam orationis suavitatem et comitatem, quae prudentia est temperata. Inprimis vero S. Patres hanc εὐτραπελιαν sensu deteriori adhibere solebant et adhortati sunt christianos, ne ista iocandi ratione in sermone vterentur eaque se profanarent. Quae loca hic afferre omnia cum a nostro instituto sit alienum, vno vremur; plura qui cupiat, audeat *Vauassorem* de ludicra dictione praecipientem, Sect. III. c. V. Quam suspecta atq' e odiosa haec Patribus fuerit, iam licet ex eo colligere, quod Chrysostomus peculiari aliquo libello de prescribenda ista dixerit. Exstat enim oratio illius: ὅτι οὐ χρη εὐτραπελιει τον ἀσκητην, et εὐτραπελοι ipse sic descripsit, ut eiusmodi hominis consuetudinem ab omnibus caute fugiendam esse purerimus. Εὐτραπελος, inquit, λεγεται ὁ πονιλος, ὁ παντοδαπος, ὁ ἀσατος, ὁ εύκολος, ὁ παντα γνομενος. ταχχεως τρεπεται ὁ τοιοτος καη μεδισαται, δει γαρ αυτον καη σχημα καη ἔρμα καη γελωτα, καη βωμοτην καη παντα μημεωδαι. Quae vero haec tenus de εὐτραπελια disputauimus, eadem de urbanitate dicenda erunt: etenim et illam propter urbanitatis nimiam affectationem in malam partem interpretati sunt ve-

veteres. Cum enim omnes fere homines *urbanitati* isti, licet iniuita saepe Minerua, operam darent, inde venit, ut scurra quilibet *urbanus* nominaretur. Hi autem homines qua ratione urbani euaseriat, optime descriptis Horatius ^{ee)}:

Maenius, ut rebus maternis atque paternis
Fortiter absuntis, *urbanus* coepit haberi,
Scurra vagus, non qui certum praefepe teneret:
Impransus non qui ciuem dignosceret hoste,
Quellibet in quemuis opprobria fingere saeuus.

Fame igitur edocti sunt eiusmodi homines *urbanitatem*. Quid mirum, si omnia, quaecunque haberent, ridicula pleno ore effunderent? Quid mirum, si aliis sese ipsi aliasque deridendos propinarent? Accipe eiusdem Venusini vatis de illo homine notationem aliam ^{ff)}.

Saepe tribus lectis videoas coenare quaternos:
E quibus vnuus auet quauis alpergere cunctos.
Praetor eum, qui praebet aquam: post hunc quoque potus,
Condita cum verax aperit praecordia Liber,
Hic tibi comis et *urbanus*, liberque videtur
Infesto nigris.

Quia vero eiusmodi scurra pudoris et verecundiae fere omnis plane erat expers et quemcumque maledictis lacescebat: translulit Horatius hanc vocem in eum, qui enecat alterum suis precibus, neque prius cogitat, an honestum sit, quod petat, atque eo, a quo petitur, dignum. Hinc idem amicum commendaturus se *urbanitatem* illam amplexum esse fatetur et secure et sine pudore rrogasse ^{gg)}:

Sic ego, maioris fugiens opprobria culpae,
Frontis ad *urbanae* descendendi praemia: quodsi
Depositum laudas ob amici iussa pudorem,
Scribe tui gregis hunc et fortem credo bonumque.

Nox

^{ee)} Epist. L. I. ep. 15. v. 25.

^{ff)} Serm. I. 4. 85.

^{gg)} Epist. L. I. ep. 9. v. 10.

D

Non vero solum Horatius, sed et alii scriptores hanc *urbanitatem* deteriori adhibuerunt sensu, quorum vel in primis est natu dignus Seneca, qui hanc ipsam urbanitatem mancipiorum propriam facit ^{bb)}: *eadem causa est*, inquit, *cur nos mancipiorum nostrorum urbanitas, in dominos contumeliosa, delectet: quorum audacia ita demum sibi in coniuas ius facit, si coepit a Domino.*

§. XI.

Postquam igitur de ea urbanitatis parte, quae morum elegantia ac suavitate continetur, satis copiose diximus, veniamus nunc ad eam, quae oratori in primis tribuitur. Quodsi vero veteres, qui de hac urbanitate praecepta reliquerunt, audiamus de hac virtute differentes, facile patet, eos illi, quem urbanum dicunt, magnam elegantiae partem tribuere. Erenim si quis loquatur pure, latine, eleganter, si omnibus eloquentiae virtutibus sit instructus reliquis, si ita deum loquatur, ut commoueat auditores, ut eum omnes admirentur; nondum tamen summae illius orationis virtutis nomine, urbanitatis puta, dignus videatur. *Urbanum* enim, quem nominant vereres, omni fere caeterorum oratorum numero eximunt, ipsumque tamquam exemplum proponunt, ad quod omnes fere compo- nant, quod intueantur, admirantur, imitantur. Quare etiam hanc elegantiae partem vrbis Romae propriam faciunt, quia, ut supra iam a nobis commemoratum est, elegantiorum et politiorum hominum conflitus ibi erat maximus, quorum consuetudine ii, qui eloquentiae operam dabant, vtebantur et quotidie perfectissima in eloquentia exempla in foro et concionibus intuebantur; qua re aliter fieri non potuit, quam ut sum- mam in eloquendo consequerent laudem. Cum vero hanc urbanitatem tam late patere profiteamur: non spero, fore, ut in iustum lectorum reprehensionem incurramus, quia haec e veterum auctorum locis comprobari posse arbitramur. Quintilianus enim, qui ex instituto de urbanitate disputat, quamuis hanc quidem in primis risui et iocis tribuat, ad finem tamen huius capituli ita de ea differit, ut illi recte omnes fere orationis virtutes subiectas faciat. Postquam enim ab initio statim rifi-
sus

bb) De Conf. Sapient. c. XI.

risus commouendi facultatem difficultiam esse dixerat, et summos oratores Demosthenem et Ciceronem vel propterea ab aliis castigatos fuisse commemorauerat, quod alteri eorum huius rei facultas, alteri vero modus defuerit: praecipue Ciceronis patrocinium suscipit, et postea ira de ea loquitur, ut facile videre possis, praecipiua quidem huius *urbanitatis* sedem esse risum et iocos; hanc tamen oratoris virtutem non tam angustis limitibus circumscribendam putat. *Nam et urbanitas dicitur, inquitⁱ), qua quidem significari video sermonem, prae se ferentem in verbis et sono et usu proprium quendam gustum urbis et sumtam ex conuersatione doctorum tacitam eruditionem.* Cum qua *urbanitatis* descriptione si eam, quam iam supra (§. V.) licet aliam ob causam, excitauimus, contuleris, facile exinde apparet, illam virtutem praecipue quidem, sed non solum iocis et ridiculis contineri: *Nam meo quidem iudicio, inquit^{kk}, illa est urbanitas, in qua nihil absconum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque sensu, neque verbis, neque ore gestuue possit deprehendi: ut non tam sit in singulis dictis, quam in toto colore dicens, qualis apud graecos Atticissimus ille redolens Athenarum proprium saporem.* Quam Quintilianus de *urbanitate* disputationem si tamquam fontem consideramus, ex quo omnis tractatio haurienda est; cuilibet patebit, eam recte in omnes orationis virtutes transferendam esse, neque vni alicui dicendi generi adstringendam, sed per totam orationem, ut sanguis per corpus, esse fusam: quare optime *color urbanitatis*^{ll}) dicitur. Quod si vero huius elegantiae quaedam nota vniuersalis constituenda est, ex qua diuidicemus, utrum eiusmodi virtus cadat in nostrum sermonem, optime mihi hanc ipsam Quintilianus expressisse videtur, cum eam *tacitam aliquam eruditionem ex conuersatione doctorum sumtam* esse dicit, qua omnem sermonem peregrinum et rusticum facili negotio ab urbano distinguere possumus. Quae porro *urbanitatis* nota, si accurrius excutiatur, perlate patet ac vereor, ut ista tota a nobis verbis exprimi possit, cum sentire melius, quam enarrare istam orationis virtutem possimus. Vniuerse vero ad haec respicere iubet Quintilianus praescriptio, ut videamus, an liberalioris ingenii orationi insit

D 2

in-

^{iij} Inst. Or. L. VI. c. 3. n. 17.^{kk} Inst. Or. L. VI. c. 3. n. 107.^{ll} Brut. 46.

indicia; an spirent aliquam suavitatem atque venustatem; an omnibus partibus dulcedinem quandam habeant admistam; an denique omnia ita sint comparata, ut nos notitia aliqua liberali, quae e circulo politicorum hominum collecta videatur, imbuant. Quae cum ita sint, recte mihi videntur distribuuisse vrbanitatem ii, qui eam nobis exhibuerunt duplicitis generis: alteram quidem, quae in rebus seriis versetur; alteram vero, quae in iocis et ridiculis locum maxime habeat. Quare Domitius Marſus ille, qui, auctore Quinctiliano, librum de vrbanitate conscripsisse dicitur, recte multo latius illam orationis virtutem extendit neque caret illa, quam exhibuit, vrbanitatis distributio omni veritatis specie. Etenim ille in laudato libello, qui temporis iniuria interiit, facit vrbanorum dicta alia *seria*, alia *iocosa*, alia *media*. Quae Marſi distributio, quamquam non soler in libellis rhetoriciis adhiberi; tamen paucis immutatis, mihi videtur non plane esse reiicienda. Atque Quinctilianus ipſe, qui optimus dicendi magister semper putatus est, non videtur ab eo alienus, vt Marſi huius de vrbanitate definitionem admittat, si ab eo discesseris, quod ille hanc virtutem aliquam in breve dictum coactam esse dicat. Locus vero ille, quo Quinctilianus hanc Maffi definitionem suo iudicio comprobar, non indignus esse videtur, qui hic a nobis excitetur, quia maxime his aliquam fidem faciet, quae a nobis de vrbanitate disputata sunt. His adicet, inquit,^{mm)} Domitius Marſus, qui de vrbanitate diligentissime scriptis, quaedam non ridicula, sed cuilibet seuerrimae orationi conuenientia, eleganter dicta et proprio quodam lepore incunda: quae sunt quidem urbana, sed rīsum non habent. Neque enim ei de rīsu, sed de vrbanitate est opus institutum, quam proprium esse nostrae urbis ait -- Sequuntur nunc de vrbanitate et homine urbano a Marſo exhibitae definitiones, quae ita sunt comparatae, ut ea omnes orationes virtutes in se continere dicatur. Qibusc iam laudatis verbis Quinctilianus statim haec subiicit: quas si recipimus finitiones, quicquid bene dicitur et vrbane dicti nomen accipiet. Quod quidem Marſi de vrbanitate iudicium vniuerſe, sine legitima aliqua exceptione, probandum non videtur, sed ita tamen, ut omne quicquid bene sit dictum,

vr-

^{mm)} Inst. Or. L. VI. c. 3. n. 102.

urbanum dici possit; si alius, nisi qui urbe natus aut in politorum hominum consuetudine versatus sit, hoc tam belle et eleganter eloqui non potuisset.

§. XII.

His igitur de oratoris urbanitate vniuerse praemissis, nunc eo progrediendum esse videtur, vt varias huius virtutis formas exponamus. Quae vero cum sint innumerabiles, neque tam paruo libello commode complecti omnes possumus; speramus fore, vt lectores nobis errantibus in re tam lubrica atque difficili veniam dent. Quaecunque autem superista re disputabimus, ea nobis vel aliena vel nostra suggestit obseruatio: atque, vt haec etiam nostrae dissertationis pars aliqua via ac ratione procedat, quae de hac re dicenda sunt, hoc modo persequemur, vt prius urbanitatem sententiarum, deinde vero illam, quae ad elocutionem proprie spectat, explicemus: ac in priori parte hoc modo versabimur, vt primum de urbanitate ea, quae a Marso *seria* dicitur, loquamur; deinde vero ad eam, quae iocis et ridiculis maxime cernitur, progrediamur. Hanc vero disputandi viam ac rationem non sine auctoritate atque exemplis veterum elegisse videmur. Etenim omnes, qui de urbanitate praecipiunt, hanc optimam esse urbanitatis pertractandae rationem diserte farentur. Aristoteles enim, cum de iis, quae sint τὰ ἀρεταὶ et εὐδαιμονία, disputat, eadem diuisione vtitur; obseruanda enim tradit τὰ ἀρεταὶ καὶ διανοία et τὰ φύσις λεξιν. Deinde vero Cicero ipse hanc urbanitatem vel re vel verbis contineri docet *nn*): duo enim sunt genera facietiarum, inquit, quorum alterum re tractatur, alterum dicto.

§. XIII.

Cum vero urbanitatem aliam sententiarum, aliam elocutionis esse velimus; necesse est, vt antea paucis definiamus, quidnam nobis in hac tractatione potissimum sint sententiae. Quamquam *sententiae* proprie in oratoria esse solent pronunciata quaedam de re infinita et idem fere ac graecorum γνωμαι; saepius tamen haec vox paullo latius patet et omne illud complectitur, quod, antequam eloquamur, mente concipi-

D 3

mus

nn) Or. L. II. c. 9.

mus quod ad inuentionem proprie spectat. Sequimur etiam hac in re inprimis Quinctiliani auctoritatem; etenim ille Inst. Or. L. VIII. cap. 5. statim ab initio ita: **SENTENTIAM veteres quod animo sensissent, vocauerunt.** *Id cum est apud oratores frequentissimum, tum etiam in usu quotidiano quasdam reliquias habet.* et paucis deinde interiectis: *sed consuetudo iam tenuit, ut mente concepta sensus vocaremus, lumina autem, praecipue in clausulis posita, sententias.* Quodsi igitur de vrbanitate sententiarum exponamus, has quidem, quae proprie dicuntur, non plane negligimus, sed latius adhuc serpere hanc vocem patimur, vt omnia ea, quae oratoribus *sensa* saepius dicuntur, complectatur. Sed iam ad ipsam hanc vrbanitatem explicandam pergamus. Primum omnium hoc videndum est oratori, vt inueniat ea, quae sint ad persuadendum idonea: deinde vero, vt ea omnia bene disponat, in primis vero bene et eleganter tra-*eter* argumenta, quibus vel persuadere vel commouere studet auditorem. In hac re vero magna cautio adhibenda est, ne nobis ipsi deesse videamur atque inepta aut minus commoda argumentorum collocazione lectorem vel auditorem ab omni causa, quam agimus, potius auertamus, quam vt illi rationibus idoneis persuadeamus ea, quae volumus atque optamus. In primis vero magna exinde elucet ingenii vis, si ab altero petamus aliquid, quod difficile est aut minus cominodum ad exsequendum; aut si ipsi res minus gratas aliis narreremus; aut si denique omnia ita in oratione disponamus, vt naturae rerum et ingenio eius, cui vel persuadere aliquid vel eundem commouere vel ab aliqua re abducere cupiamus, videatur quam maxime accommodatum atque conueniens. Quae omnia si recte et bene fiant, profecto non sunt oratoris eius, qui de plebe natus aut rure educatus est; sed liberalem quandam prae se ferunt ingenii speciem et iudicandi elegantiam; ad quae omnia quidem ingenium atque natura faciunt plurimum; sed aliqua ex parte haec oratoris virtus usu atque consuetudine hominum politiorum adiuuatur. Quodsi vero veterum auctorum libros, in primis vero eorum, qui elegantissimi atque eloquentissimi semper habebantur, accuratius legimus et qua ratione omnia argumenta tractauerint, examinamus; dici non potest, quan-

quanta his rebus omnibus insit elegantia atque vrbanitas. His autem rebus cum aliquam tribuamus venustatem atque elegantiam, haec non aliquis interpretur ita, vt omnia, quae bene et apte in oratione sint disposita atque ordine quodam pertractata, vniuersae vrbana dicenda putemus; sed hoc potius hic prae nobis ferre audemus: si ab oratore argumenta ita sunt disposita atque collocata, vt non, nisi ab eo, qui eleganti atque polito ingenio est, sic construi potuerint, haec vrbana atque *artea* recte habenda esse. Rusticus enim et qui est ab elegantissimorum consuetudine plane alienus non facile videt, quid deceat, quid aprum, quid rerum naturae, personarum dignitati sit conueniens atque accommodatum; sed animi sensa sine vlo delectu et ordine pleno ore porius effundit, quam eloquitur. Quam vero in ipsa rerum dicendarum dispositione et ordine vrbanitatem latere diximus, licet eam multis in veterum auctorum scriptis reperiamus; tamen haud scio, an vnu s fere Cicero in hac re omnibus reliquis palmam praeripiatur. Quam apte enim, quam bene atque rerum naturae conuenienter omnia disposuit in orationibus? quam artificiose et ita tamen, vt omnis ars lateat, omnia argumenta tractat? quam belle et prudenter rationes, quibus aliquem vel commouere vel a re quapiam abducere conatur, construxit in epistolis? Quam liberalem speciem illa habent omnia? Praesertim vero hac in re Cicero se ipse quasi in epistolis ad diuersos superasse videtur. Quale enim et quantum artificium latet in eo, si quid ad audiendum minus iucundum alteri narrat *oo*? quanta ingenii vis, si obiurgat, vituperat alium, quod tam caute agit, ne alterius animum offendat *pp*? quanta vrbanitas ingenii exinde elucet, si se contra criminationes factas defendat *qq*? Quanta elegantia, si vel commouet vel suadet vel dissuadet? Quanta eius est prudentia, haec omnia ita disponendi et digerendi, vt sibi facile aditum ad lectoris animum paret atque muniat? quanta ars est in eo, vt teneat lectores, ne antequam argumenta omnia cognouerint atque pectore firme considerint, ea refugiant? Quam
ve-

oo) L. I. ep. I. ad Diu.

pp) L. V. ep. 7. ad Diu.

qq) L. V. ep. 1. et 2.

vero in disponenda atque instruenda oratione, argumentorum
 tractatione et exornatione, vrbanitatem atque elegantiam, si
 exemplis copiosius illustrare vellemus, verendum est, ne no-
 bis de caeteris vrbanitatis formis differendi tempus praeripe-
 retur, cum vel peculiaris de ista re libellus confici possit. Sa-
 tis igitur habebimus, vel vnum exemplum ad hanc vrbanita-
 tem dispositionis et inuentionis illustrandam excitasse. Constar-
 inter omnes et iudicio summorum in hac re arbitrorum est
 comprobatum, epistolam illam Ciceronis (ad Diu. V. 12.) ad
 Lucceium conscriptam, licet non omni careat ambitionis at-
 que arrogantiae suspicione, summa tamen arte, elegantia at-
 que vrbanitate esse compositam, vt vel ex hac sola summa
 eius ingenii vis eluceat. Haec vero vrbanitas, quam eius epi-
 stolis inesse diximus, varia quidem est; sed haud scio, an haec
 omnes fere epistolas artificio illo longe superet, quo argumen-
 ta dispositi, tractauit atque iis se in Lucceii animum insinua-
 uit; quare etiam ipse Cicero hac epistola mirifice delectatus
 est.^{rr)} Quae cum ita sint, a proposito nostro non videtur es-
 se alienum, hanc epistolam, quam breuissime fieri poterit, ex-
 minare atque hanc in argumentorum tractatione latentem vr-
 banitatem exponere. Omnis huius epistolae summa fere re-
 dibat, vt Cicero Lucceium rogaret, vt suarum rerum historiam
 ab isto opere, quo ille omnia bella ciuilia complecti constituis-
 set, seiungeret et modicum corpusculum ex iis, quae Cicero
 memoria digna gessisset, conficeret. Verendum autem erat
 Ciceroni primum, ne Lucceii animum offenderet, cum ipsum
 denuo rogaret, vt hoc, quod ipsi faciendum iam promiserat,
 efficeret ipsique de sua fide dubitare videretur; deinde vero,
 ne arrogantiae ipsum accusaret, qua Cicero ductus suarum
 laudum historiam a reliquo opere seiungendam putaret, neque
 caeterarum rerum narrationi intexendam. Haec omnia vero
 Cicero tam artificiose, tantaque cum vrbanitate et prudentia
 tractauit, vt Lucceius illius neque dissidentiam neque arrogan-
 tiam reprehendere posset. Primum igitur ipsum Lucceium ele-
 gentissime praeparat, vt attendat ad ea, quae coram exponere pu-
 dor quidam subrusticus prohibuisset; deinde vero cum simplici-
 tate

^{rr)} Ad Attic. L. IV. ep. 6.

tate venusta narrat, quae ab ipso exspectasset, et cum haec res es-
set tam lubrica atque difficilis, ne Lucceius ipsi propterea irasce-
retur, argumenta, quibus ipsi persuadere cupit, ita disposuit at-
que instruxit, ut vel ex ipso ordine vrbanitatis gustus quidem
eluceret. Praemittit enim rationes eas, quae Lucceium commouerent,
ut magis sui ipsius, quam Ciceronis cauſa, hoc
opus aggredieretur. Laudat genus scribendi elegans, quo
in legendo ita affectus fuisset, ut suarum rerum gestarum
memoriam ab ipso potius, quam a quois alio, posteritati tra-
di cuperet. Quae vero deinde sequitur ratio, optimo loco est
posita et ad Lucceium commouendum accommodatissima. Ne-
que enim, inquit, me solum commemoratio posteritatis ad spem quan-
dam immortalitatis rapit: sed etiam illa cupiditas, ut vel auctoritate
testimonii tui, vel indicio benivolentiae, vel suauitate ingenii viui per-
fruamur. Caeteris argumentis omnibus, quibus Cicero vitur, om-
missis, ad reliqua pergamus. Quam elegans, optimo loco pos-
itum et ad persuadendum idoneum illud ipsum videtur, quo illi
persuadere conatur, ut suarum laudum narrationem a tota histo-
ria seiungat? Quod si te adducemus, ut hoc suscipias: erit, mihi per-
suadeo, materies digna facultate et copia tua. Quanto cum artificio
exempla eorum optimo loco et in clarissima luce posuit, qui se
magis a magnis et ingenio claris viris laudari cupiuissent, quam a
summis artificibus posteritati monumentis commendari? Quam
bella sunt exempla Epaminondae, Themistoclis, Alexandri, Age-
silai? quam optime ipsa in orationis serie disposita? Quae omnia
si paullulum accuratius perpendamus, dici non potest, quantum in
Cicerone deprehendemus vrbanitatem atque elegantiam inge-
nii, quae potissimum dispositione argumentorumque tractatione
et ordine cernitur. Vniuersa magna vrbanitas continetur eo, si
delectus instituatur rerum, quae dicendae sunt, ut non omnes in
vnum locum congeramus et coaceruemus, sed subtiliter videa-
mus, quid ex his rebus omnibus cauſae, quam tractamus, con-
ueniat, quid prius, quid posterius dicendum; quid denique in
aliud tempus commodius reseruandum videatur. Ad hanc rem
vero perspiciemus magnam vim habet prudentia et iudicium,
quod vnu et consuerudine politiorum et elegantissimorum homi-
num alitur et effingitur.

§. XIII.

Sed iam satis dictum arbitramur de vrbanitate ea, quae ipsa rerum dicendarum dispositione argumentorumque tractatione maxime continetur: veniamus nunc ad eam, quae narrationi veterum auctorum inesse solet. Quod si vero hic de narratione loquamur, non solum huc referendam putamus eam, quae oratoriae vel maxime propria est statimque exordio subiici solet; sed in omnem narrationem vrbanitatem cadere posse censemus, quae vel delectationis vel scientiae vel confirmationis vel amplificationis caussa exponitur. Cuius prima quidem virtus recte ea habetur, quae ἀρελεια a rhetoribus appellari solet; sed accedat ad eam vrbanitas et venustas quaedam, necesse est. Qua vero re haec narrationis vrbanitas maxime cernatur, difficile erit ad explicandum: cum illa per totam orationem sit fusa atque sentiri melius, quam verbis exponi possit. Perspicitur autem, mea quidem sententia, praecipue ex eo, si omnia eo, quo res factae sint, ordine exponantur ita quidem, ut ipsae res factae nostris subiiciantur oculis, ut non audire, non legere, sed ipsi cernere eas videamur. Ad hanc rem consequendam quamvis magna sit ingenii vis et naturae; tamen etiam haec orationis venustas multum vsu et consuetudine politiorum hominum adiuuatur. quare plerumque accidit, ut rustici et imperiti homines praepostero ordine res gestas narrent, ut auditores tenebris oboluant potius, quam illis rem dilucide exponant. Atque cum hac in narrando suauitate coniungi poterit altera illa, qua omnia ita proponuntur, ut personae, aetati, ingenio, moribus, dignitatibus eius, de quo sermo est, accommodata videantur. In hac re vero mirus est artifex Xenophon, cuius in labris, si quid narret, facetiae atque Musae habitare videntur. Exempla sunt in promtu. Adeat enim, qui harum cupediarum est cupidus, narrationem lepidam de Cyro puerō, qui in coniuicio, quod apud auum parabatur, elegantissima ratione coniecerat, auum omnes reliquos cibos praeter panem auersari et fastidire, quod illis attrectatis manum purgare viderit: hoc non item^{ss)}. Quantum vrbanitatis habet narratio illa de Saccā^{tt)}? quot veneres insunt illi narrationi de

con-

^{ss)} Cyrop. I. 3.^{tt)} Cyrop. I. 3.

conuiuio, quod Cyrus imperatoribus in castris parandum curaue-
rat *uu!* Quanto cum lepore, gratia ac venustate omnia exponun-
tur, quae mirifice lectores delectant, etiam si non ad verba respi-
cias. Eadem vero narrationis vrbanitas etiam in Cicerone ob-
seruari licet. Quam dilucide, ordine optimo in orationibus ex-
hibentur res, quae factae sunt? Quam venuste et perfpicue ex-
ponit in epistolis res eas, quae faciunt ad instruendum, hortan-
dum, commouendum eum, ad quem scribit? Quanta in luce et
optimo loco quaeque posita sunt in elegantissima illa epistola IX.
L. I. ad Diu. qua rationem suae de republica mutatae sententiae
reddit? Sed quis foret dicendi finis, si omnes illas narrationis
venustates, quae in Ciceronis libris latent, vel digito ostendere
vellemus? Regnant in ista re praeter Ciceronem in primis *Liuius,*
Caesar, *Nepos* aliique non pauci, qui omnia facta ita exponunt,
vt vel maxime vrbani ingenii atque eruditionis vis inde eluceat;
quae melius legendu*m* ipsi experiemur, quam vt verbis a nobis
exponi possint, quare ad alia progrediamur, de ea enim narra-
tione, quae delectationis causa maxime singitur, deinde videbi-
mus, cum ad iocos peruenierimus.

§. XV.

Praeterea vero ipsis orationis partibus, dici non potest,
quae saepe insit vrbanitas. Exordia enim vel orationum vel epi-
stolorum vel sermonis in veterum auctorum scriptis sunt tam
bella, natuua atque iucunda, vt non, nisi ab homine eleganti ac
venustate innutrito, profici sci queant. Facilitatis autem nota ea
in re certissimum signum erit vrbanitatis atque venustatis, qua le-
gens vel audiens fe eodem modo dixisse arbitratur, cum vero
rem ipsam aggressus fuerit, longe aliter cadere experietur. Sunt
enim veterum, in primis vero Ciceronis, exordia non domo
quasi allata, sed e re ipsa nata et ita animum auditoris magis ma-
gisque ad rem, quae exponenda est, praeparant, vt exinde ma-
xima oriatur delectatio et lusus ingenii, si rem ipsam diuinasse
videamur. Insigne huius rei exemplum praebet ipsa Cyropaediae
Xenophontis praefatio, qua docet, omnia caetera animalia suis
rectoribus lubentissimo animo parere neque prohibere eos, quo

E 2

mi-

uu) Cyrop. II. 2.

minus ex se fructus capiant: homines vero statim irasci iis, quos imperium affectare in se videant, ex qua praefatione deinde optimus fit transitus ad historiam Cyri enarrandam. Magnam vero urbanitatem habent Ciceronis illa siue exordia siue proemia orationum et epistolarum. Quam bene animus auditoris et lectoris praeparatur ad caussam cognoscendam? quanta vis ingenii eminet ex eo, quod statim ab initio sic afficiamur, vt non, nisi absoluta lectione, possimus orationem vel epistolam e manibus ponere? Quam urbanum et venustum est illud in oratione pro Archia exordium? Quantam gratiam conciliat ei, pro quo dicturus erat? quam caute statim ab initio emolire solet ea, quae odium et inuidiam reo excitare possint? In epistolis autem quanta ipsis exordiis in estuenufas? Cuius rei luculentissimum exemplum praebere poterit elegantissima illa epistola, quam primam ad Lentulum dedit in caussa Alexandrina xx). Quam bene omnem negligentiae suspicionem a se remouet? Eadem quoque ingenii urbanitas obseruatur in eo, si ab una re ad alteram narratione transfire soleat, quae quamvis omnibus in scriptis eius eminet; tamen in primis in libris de Oratore conscriptis huius elegantiae vestigia inuenies plurima. Elegans profecto est praeparatio ad sermonem instituendum, cum Scaeuelam sic loquentem facit yy): *cur non imitamur Socratem illum, qui est in Phaedro Platonis?* nam me haec tua platanus admonuit, quae non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis, quam illa cuius umbram secutus est Socrates, quae mihi videtur non tam ipsa aquila, quae describitur, quam Platonis oratione creuisse: et quod ille durissimis pedibus fecit, vt se abiiceret in herbam, atque ita illa, quae philosophi diuinitus ferunt esse dicta, loqueretur, id meis pedibus certe concedi est aequius. Elegantissima sane ad confessum illum, quo de oratore disputabatur, erat haec praeparatio, quae veram habet urbanitatis notam, quam Quintilianus exhibuit, quod omnis urbanitas prae se ferat tacitam aliquam eruditionem atque ex conuersatione doctorum sumtam. Haec autem urbanitas in primis magna est in comoediis et dialogis; cum saepius

xx) ad Diu. L. I. ep 1.

yy) Or. I. 7.

pius ibi ab vna ad alteram rem transeundi sit necessitas; quo etiam referri merito illud poterit, quod ad legendum est iucundissimum, si alii differendi partes traduntur. Quam venusta et grata est illa Antonii fermocinatio, qua Crassus disputandi vices tradit²²⁾: *quam ob rem, inquit, si vos quoque idem existimatis, non erit, ut opinor, iniqua partitio, si, cum ego hunc orationem, quem nunc fingo, ut institui, crearo, aluero, confirmaro, tradam eum Crassum et vestiendum et ornandum.* Tum Crassus: *Tu vero, inquit, perge, ut instituisti.* Neque enim est boni, neque liberalis parentis, quem procrearit et eduxerit, eum non et vestire et ornare praesertim, cum te locupletem esse negare non possis. Quam urbanitatis et venustatis formam licet etiam in epistolis admirari; sed properandum erit, ne huic rei nimium inhaeremus, et de peroratione aliquid dicendum videtur, quae plerumque apud Ciceronem urbanitatis habet plurimum. Cum vero de urbanitate perorationis disputemus, non omnes epilogi virtutes ad hanc transferendam putamus; sed tum illam hac virtute ornatam esse credimus, si commoda atque venusta aliqua ratione orationem aut colloquium finiatur. Omnis enim peroratio duas habet partes: aut repetitionem argumentorum, quae pro nobis pugnant aut affectuum commotio nem, quaenam cuiilibet orationi conueniat et qua ratione aut enarremus ista argumenta, ita, ut auditori persuadeamus, aut commoueamus nobisque eius gratiam conciliemus, hoc optimo videbit orator urbanus et elegans, qui ab illo polito iudicio non est alienus. Atque in primis haec sermonis ad finem perducendi elegantia obseruatur in colloquiis, vbi summa cum venustate saepe cohibetur oratio. Quam pulchra illa est sermonis finiundi ratio in Ciceronis libris de oratore conscriptis²³⁾? *His autem de rebus, inquit Crassus, sol me ille admonuit, ut breuior essem, qui ipse iam praecepitans, me quoque haec praecepitem paene euoluere coegit.*

E 3

§. XVI

22) Or. II. 28.

23) Or. III. 55.

§. XVI.

His igitur absolutis, quae de vrbanitate ea, quae prae-
cipuis orationibus partibus inesse videtur, dicenda haberemus;
progrediamur ad alias huius vrbanitatis formas describendas ea-
rumque vel insigniores tantummodo delibemus, quia omnes
ac singulas per partes eundo enumerare, non huius scriptiu-
culae, sed iusti voluminis esse videatur. Eminet autem in ve-
terum scriptis, in primis vero Ciceronis libris illa vrbanitatis
forma, quae est ad delectandum iucunda et ad cognoscendum
vberrima, qua cum copia quadam ex historia petita differant,
neque tam nude et iejune proferant in medium ea, quae di-
cenda habent. Sunt autem ea, quae ex historia et antiquitatis
memoria repetunt, non e triuio sumta; sed elegantissimo at-
que optimo iudicio et delectu a caeteris segregata optimoque
denique loco posita. Haec vero elegantiae pars non solum iis
in scribendi generibus occurrit, in quae vel maxime cadere
videatur; sed etiam in iis ipsis, quae in praecipiendo versan-
tur. Ad has nostras obseruationes confirmandas iterum le-
ctores ad Ciceronis nostri scripta remittimus. Quaenam co-
pia ex historia priorum temporum petita est in eius orationi-
bus et epistolis? Quam eleganter, ut hoc vno vtar, adhibet
ea, quae L. I. ep. 9. ad Diu. leguntur? Quam prudenter ex-
cusat suam de republica mutatam sententiam, cum Platonis au-
toritatem assert, qui patriae nullam vim afferendam suadet?
Quam copiose vbiique veterum memoriam recolit? Quae vrb-
anitatis forma quam iucunda sit et venusta, legendō melius
experiemur, quam vt multis a totius orationis serie euulsi ex-
emplis demonstrari possit. Quam eleganter Lib. I. ep. 9. ad
Diu., cum queritur de iis, qui salutis quidem suae, sed non
dignitatis et honoris in restituendo in patriam rationem ha-
buerint, quam eleganter, inquam, quam venuste hanc rem
illustrat: *Qui me homines, inquit, quod saluum esse voluerunt, est
mihi gratissimum; sed vellem non solum salutis meae, quemadmo-
dem medici; sed, ut aliiae etiam virium et coloris rationem ha-
bere voluerint.* Praeter hanc vero ex historia petitam copiam
etiam ad vrbanitatem orationi conciliandam facit, cum ad ri-
tum quendam, quasi aliud agendo, alludamus atque lectores

xv

remitimus. Etenim, ut de eo nihil dicam, hoc magnam prae-
se ferre eruditionis speciem: hac tamen re efficitur quoque
elegantissimus ingenii lusus, quo lectores inter legendum haec,
quae dicuntur, cum illo ex antiquitate repetito ritu compa-
rent atque contendant. Multa huius rei exempla occurrent dili-
genti Ciceronis lectori, ut in afferendis iis longus esse non opus
esse videatur. Tale fere illud videtur, cum in libris de natur.
dear. I. 8. Velleius tam fidenter et nihil verens de natura deo-
rum disputasse dicitur, *tamquam modo ex deorum concilio et ex*
Epicuri intermundiis descendisset; aut si Crasso de Or. L. I. c. 24.
differendi partes traduntur: suscipit ille quidem, sed elegan-
ter, ut sibi erranti veniam dent, rogat: *de his credo rebus, in-*
quit, Crassus, ut in creationibus solet, quibus sciam poteroque. Ea-
dem quoque urbanitas est in illo Ciceronis loco ^{bbb)}, quo Cae-
sar, cum rogatus esset, ut de sale et facetiis disputaret, locum
dat praecibus, ita verba faciens: *ego vero, quoniam collectam a*
coniuua, Crasse, exigis, non committam, ut, si defugerem, tibi caus-
sam aliquam dem recusandi, ubi elegantissime ad illud conui-
uiorum respicitur genus, quod ἐγένεν graeci nominant. Quo
referendum et illud puto ^{ccc)}: *haec non aurificis statera, sed qua-*
dam populari trutina examinantur. Excipiat illam urbanitatis
formam, de qua haec tenus diximus, alia, quae idonea contine-
tur exemplorum commemoratione. Etenim dici non potest,
quantam conciliet orationi elegantiam, si exemplis illustretur
eaque recto loco ponantur. In hac re vero magna cautio
adhibenda est, ne sint nimis vulgaria et videndum, ut sint rei,
ad quam illustrandam excitantur, conuenientia. Elegans quo-
que in hac venustatis parte est noster Cicero. Cum enim de
Or. II. 14. in eo est, ut demonstret, orationem nostram le-
ctione optimorum librorum, licet huic rei nullam demus ope-
ram, colorem quendem trahere, hoc venusto exemplo illustrat:
vt cum in sole, inquit, ambulem, etiam si aliam ob causam ambu-
lem, fieri natura tamen, ut colorer: sic, cum istos libros ad Misé-
num studiosius legerim, sentio orationem meam illorum cantu quasi
colorari. Huius urbanitatis omnes Ciceronis libri sunt referti,
quare

^{bbb)} Or. II. c. §7.
^{ccc)} Or. II. 38.

quare opus non est, curiosius eam indagare, cuius legenti facile occurant. Praeter has vero urbanitatis formas, a veteribus saepius usurpatas, reperiuntur adhuc quaedam aliae, quae eandem elegantiam ac suavitatem sermoni afferunt. Referri autem hoc merito meretur sententiarum Iesus ille elegans ac prudens, quibus orationem veteres distinguunt. Sententias vero cum dicamus orationi urbanitatem quandam conciliare, intelligimus in primis eas, quas graeci aut *γνωματα* aut *νοηματα* vocare solent. In hac re vero maxima cautio adhibenda est, ne istae sententiae sint aut nimis vulgares aut nimis frequentatae in oratione: utrumque impedimento est, quo minus placeat auditori vel lectori eiusmodi oratio. Alterum enim fastidium excitat lectori, cuius animus legendi noua quaedam et inaudita discere caput, quae possit in suam rem conuertere: alterum vero offendit plerumque lectores et auditores, *cum non rei actores*, ut auctor ad Herennium IV. 17. inquit, *sed viuendi preceptores esse videamur*. Prudenter vero atque cum delectu si afferamus eiusmodi tententias, placet hoc mirifice atque urbanitatis speciem prae se fert maximam, qua ex ipsa rerum gestarum historia proposita quaedam infinita decerpamus, quae, quales in vita esse debeant, homines optime docent, neque erit verendum, ut lector aut auditor eiusmodi sententias comproberet, cum ipsa rerum narratio istas porrigit, neque ex scriptoris ingenio quasi meditatae venire videantur. Quare recte idem auct. ad Herenn.: *ddd) nam necesse est animo eam comprobet tacitus auditor, cum ad causam videat accommodari rem certam ex vita et moribus sumtam.* Huius urbanitatis usus frequens est in nostro Cicerone, in primis vero in epistolis, quibus saepius immiscet sententias, ita quidem, ut vel infinite vel finite, ut ad certas personas respiciatur, dicantur. Cum haec vero venustatis et urbanitatis forma coniungi poterit optimae ea, qua versus e poetis immiscetur orationi, quod saepius, si recte iis vtaris, non parum habet gratiae. Atque huius rei causa non est abscondita. Etenim cum eiusmodi afferuntur versus et in causam praesentem transferuntur, suauissime nos afficiunt propterea, quod locuti ipsi hanc, quam poe-

ddd) L. IIII. c. 17.

ta exhibuit rei cuiusdam imaginem, comparemus cum re vel persona, de qua dicitur, et delectamur ista comparatione rerum ex parte similium. Quo melius igitur eiusmodi versus caussam nostram illustrant, eo magis placent; quo magis sunt inauditii, noui, elegantes et parum in caussam nostram iam ab aliis translati, eo maior erit eorum vrbanitas. In hac re vero iterum Cicero dignus videtur, qui commendetur vrbanitatis studiosis. Huius libros legant atque relegant, in iis venieres atque lepores quaerant; illius elegantias innutriti ad scribendum accendant; huic rei vel maxime studeant, vt, qua ratione intexuerit orationi hanc vrbanitatem, discant. Nolumus quidem in afferendis exemplis esse copiosi, cum omnia scripta Ciceronis, in primis vero *Quæstiones Tuscanae* et *Epistolæ* sat is largam copiam suppeditent; vnum tamen proferemus, quod præcipue vrbanum videtur et elegans. Postquam Cicero inconstantiam suam de republica rationibus non contemnendis defenderat *eee*); in primis hanc reprehensionem a se remouere conatur, quod ipsum Vatinium, quam habuisset sibi inimicissimum, laudauerit, atque hoc propterea fecisse dicit, vt inimicos suos, qui Clodium amplectenterunt, pungeret: eleganter que in caussam suam illud, quod Eunuchus apud Terentium *fff*) parasito suadet, transfert. Talem quoque vrbanitatem obseruare licet in epistolis ad Trebatium, cui, in Gallia degenti, scribit se metuere, ne illi artificium suum ibi parum prosit *ggg*). Nam istuc audio, inquit,

*Non ex iure manuum consertum, sed magis ferro
Rem repetunt.*

Qui versus ex Ennio sumti quantam afferant orationi elegantiam facile perspicietur ab eo, qui totam epistolam legerit. Hae fere sunt vrbanitatis, quae sententiis ineft, formæ præcipuae, quae, vt cum Marso loquamur, ad seria præcipue pertinent. Si autem veterum in primisque Ciceronis legimus libros, tantam illis ineft vrbanitatis copiam facile videbimus, vt paene in-

eee) L. I. ep. 9. ad Diu.

fff) Eunuch. 3, 1, § 2.

ggg) L. VII. ep. 13. ad Diu.

infiniti laboris esse videatur, omnia, quae ad hanc rem illustrandam faciant, obseruare atque colligere: quare de caeteris paucis defungemur. Similitudines ut commode omnem orationem illustrant atque ornant: sic vero inprimis, si a rebus minus vulgaribus petantur, urbane sunt. Atque hae vel maxime politi et elegantis ingenii speciem prae se ferre videntur, cum non cuius a natura ea facultas concessa sit videndi, quae rebus intercedat similitudo, aut dissimilitudo, in iis praecipue rebus, quae non cadunt sub oculos. Quo minus autem istae similitudines sunt vulgares neque cuius obuenisse videntur, et quo frequentius ex historia, antiquitatis memoria, philosophorum ritibus, artibus et quae sunt eiusdem generis alia, petantur; eo maior inde elucet politi et venusti ingenii vis. In hac re vero ipse Cicero mirus est artifex atque magnam eius libri rhetorici praebent copiam. Quam venusta est illa in Brut. c. 14. similitudo: *vt enim, inquit, ex neruorum sono in fidibus, quam scienter ei pulsi sint, intelligi solet: sic ex animorum motu cernitur, quid tractandis his perficiat orator.* Eius generis est illud quoque, cum Cicero philosophiae et oratoriae factum diuortium, sic exponit ^{bbb)}: *haec autem, ut ex Apennino, fluminum, sic ex communi sapientium iugo, sunt doctrinarum facta diuertia, ut philosophi tamquam in superum mare Ionium defluenter, Graecum quoddam et portuosum: oratores autem in inferum hoc Tuscum et Barbarum, scopulosum atque infestum, laberentur, in quo etiam ipse Ulysses errasset.* Haec si ad notam illam urbanitatis, quam Quintilianus exhibuit, examinaueris, qua urbana sint ea, quae tacitam aliquam prae se ferant eruditionem, non est, cur inurbana haec habeantur. Quamuis hae, quas posuimus, praecipuae quidem sint urbanitatis formae, tamen ea virtus etiam placet: *in descriptionibus locorum et rerum, in notationibus personarum, increpationibus, responsionibus, interrogationibus, in primis si interpellamus in sermone alios; si cuiusdam benevolentiam captamus; si retrorquemus ea, quae in nos dicta sunt, cum suauitate et modestia; si sermonis occasionem a rebus circumiacentibus petimus, cuius generis elegantissimum exemplum est illud de Or. L. III. cap. 6: sed si hoc quoque videtur esse altius, quam ut id nos homi strati suppi-*

^{bbb)} Or. III. 19.

spicere possumus, illud certe tamen, quod amplexi sumus - - - nosse et tenere debemus. Cum vero has vrbanitatis formas omnes exemplis illustrare vellemus, verendum esset, ne modum excederemus, et in iustum volumen disputatione nostra excrescere videretur: quare satis de vrbanitate ea, quae circa feria versatur, dictum putamus et ad aliam huius libelli partem progradimur, quae eam vrbanitatem tractabit, quae potissimum iocis et facieiis continetur.

§. XVII.

Supra iam a nobis commemoratum est, vrbanitatem vel in primis omne quod ridiculum est, comprehendere et facetiis et iocis praecipue tribui: hoc vero non hanc habet vim, ut omnia ridicula vniuersae huius vrbanitatis sedem constituant, cum multa ridicule quidam dicantur, sed tantum abest, ut vrbana et venusta semper habeantur, ut potius scurrilia et libero homine plane indigna reperiantur. Atque optime iam praecepit Quintilianus, esse hanc rem valde ancipitem neque vrbana esse dicenda infinite ea, quae risum moueant, cum etiam ea, quae sint insulse arque stulte dicta, rideantur. *Neque enim, inquitⁱⁱⁱ⁾, acute tantum ac venuste, sed stulte, iracunde, timide dicta aut facta ridentur, ideoque anceps eius rei est ratio, quod a derisu non procul abest risus.* Quamuis igitur ad vrbanitatem vel in primis ridiculum pertineat, tamen magna cautio est adhibenda, ne, quae risum moueant, vrbanitatis nomine insigniamus, nisi prius examinauerimus, an sint ea honesta, ingeniosa, hominum personis digna, an liberalem aliquam praeseferant speciem, an denique, ridicula qui dicit, temporum, hominum, locorum rationem haberent, quae omnia nisi quis in proferendis ridiculis caute obseruauerit, vix vrbani hominis, sed potius scurræ nomen merebitur. Atque hoc ridiculorum examen eo cautiis erit instituendum, quo facilior in ista caussa est errandi occasio: cum enim natura et occasione saepe adiuvemur, ut ridicula proferamus, haud raro accidit, ut rustici etiam saepius ridicula dicant et quo quis est moribus dissolutioribus atque agrestioribus, eo plerumque ad ridicula proferenda et la-

F 2

ⁱⁱⁱ⁾ Inst. Or. VI. 3. 7.

lasciuos sermones inferendos videtur procluior. Quod si
 vero ridicula dicendi facultas ficeret homines venustos, quis
 esset non elegans et vrbanus. Quare optime Aristoteles di-
 stinxit tanquam plane inter se diuersa τα γελοια και τα ασεια, et
 τα ασεια risum atque delectationem mouere, sed τα γελοια non
 semper esse ασεια huius eloquentiae praeceptoris auctoritate
 praemuniti libere profitemur. Quae cum ita sint, nos ipsi in
 hac re caute versabimur, atque hanc nobis ipsi legem scribe-
 mus, ne omnia, quae e ridiculorum sint genere, ad vrbani-
 tam referamus. Antequam vero ad ipsam hanc vrbanita-
 tem explicandam veniamus, paucas quasdam e veterum au-
 torum locis, qui de ea praecepint, collectas obseruationes
 proferemus; quae plurimum facient ad hanc orationis vir-
 tutem intelligendam. Primum igitur in primis tenendum hoc
 esse videtur, hanc vrbanitatem, quae circa ridicula versatur,
 patere latius neque solum iocos et bona dicta complecti, sed
 quicquid eius est generis, ut quodammodo ad ridicula possit
 referri atque lectores et auditores molliter afficiat frontemque
 explicet, ita quidem, ut serio opponatur. Multa enim insunt
 veterum scriptis, quae quamuis ridicula proprie neque sint ne-
 que dici possint; sed vrbana tamen esse omnes fatentur, qui eius-
 modi elegantissimi sentiendis sunt asueti. Quaecunque enim ira-
 fuit comparata, ut voluptate nos afficiant et politi et liberalis
 ingenii praebeant indicia et quae subridicula sint, ea vrbanita-
 tis nomine digna videntur. Delectamur enim iis, quae prae-
 bent lufum ingenii atque varietate nos quadam tenent: quare
 etiam ipse Cicero Or. I. 34. sic praecepit: *libandus etiam est ex*
omni genere urbanitatis faciarum quidam lepos, quo, tamquam sa-
le, perspergatur omnis oratio. Quae verba clare docent, multa vrbani-
 tam complecti neque iocos et ridicula, quae proprie-
 dicantur, sola continere. *Locus enim et regio,* ut idem de Or. II.
 58. inquit, *quasi ridiculi turpitudine et deformitate quadam con-*
tinetur, quae si eleganter et venuste indicatur recte quidem di-
 citur vrbanitas; sed multa tamen, quae nullam neque turpitudi-
 nem neque deformitatem notant, vrbana dici possunt. Quare
 non male caussam illam tractauit Quintilianus, qui, de risu
 cum disputat, bene omnia distinxit, quae plerumque ad vrbani-
 ta

tatem referuntur, atque hoc ipso ad alterum, quod de hac vrbanitate obseruauimus, deuoluitur oratio. Quodsi Cicero-
neum aliosque, qui huius vrbanitatis mentionem fecerunt, audia-
mus, omnes fere varios in vrbanitatis partibus constituendis
esse, facile videbimus. Etenim *facetias, sales, false dicta, iocos,*
lepores et si quae alia, ad vrbanitatem referunt atque ita de iis
differunt, vt alii quidem haec tamquam formas vrbanitati sub-
iecta faciant, alii vero ea ab vrbanitate bene et accurate se-
iungant. Quam rem qui paullo exactius excusserit, has vrbani-
tatis formas aliqua ex parte a se inuicem discrepare, non dif-
fitebitur, licet subtile et difficile sit, quod illis intercedit, di-
scrimen, quod sentiri melius, quam verbis explicari poterit.
Optime in hac re tam lubrica nobis praeiuit magnus ille elegan-
tiarum arbiter, Quintilianus, qui Inst. Or. VI. 3. pluribus autem
nominibus, inquit, in eadem re vulgo utimur: quae tamen, si dedu-
cas, suam propriam quandam vim ostendent. Quibus praemissis sub-
iicit deinceps *venusti, falsi* atque *faceti* discrimen. *Venuustum* autem
ita explicat, vt ipsi sit hoc, quod cum gratia aliqua et venere
dicatur: hoc vero non ad ea, quae risum mouent, referendum
esse optime intelligemus ex iis, quae venusta in veterum
scriptis dicuntur. Magnam haber, vt hoc viar, locus ille de
platano ^{kkk} venustatem et gratiam, mirifice nos delestat; sed
ridiculum abesse quilibet fatebitur. Quot veneres insunt locis
in Ciceronis libris de oratore conscriptis omnibus, quibus
disputatio vel ad Crassum vel ad Caesarem aliosque defleci-
tur? quam modeste ii, qui loquentes inducuntur, alios extol-
lant, se ipsi vero deprimit? Quam venustae et ab omni af-
fentionis suspitione remotae sunt laudes, quas alter alteri tri-
buiri? Quantam venustatem haber locus ille de Or. L. II. c. 57:
et Antonius, *Per pauca quidem mihi restant, inquit: sed tamen de-*
fessus iam labore atque itinere disputationis, requiescam in Caesaris
sermone, quasi in aliquo peropportuno diuersorio. Atqui, inquit,
Iulius, non minus liberale hospitium meum dices: nam te in viam,
simulac per paullulum gustaris, extrudam et eiiciam. Videmus
igitur ex his, venustatem quidem ad vrbanitatem recte referri;
sed non ad eam partem, quae circa ridicula versetur. Eadem-

que *facetiarum* et *faceti* est ratio. Recte enim Quintilianus haec non tantum circa ridicula consistere iudicat, dicimus enim Virgilii carmina spirare aliquid molle atque facetum, quibus ridicula non insunt. Adhibetur autem *facetum* in primis de ea orationis pulchritudine, qua molliter et leniter instar riuuli omnia fluunt et cum elegantia quadam exponuntur. Atque eadem de *salibus*, *festiuitatibus* aliisque similibus dicenda videntur. Etenim proprie non ad iocos et ridicula pertinent; sed saepius omne illud notant, quod mirifice delectat atque afficit lectoris et auditoris animum. Quae vero sit haec festiuitas Cicero de inuentione I. 19. optime illustravit; sed sufficiat haec leuiter tantum delibasse, quia ad caussam nostram proprie non spectare videntur. Quae *vrbaniatis* formae licet diversae esse videantur, veteres tamen plerumque eas de iocis et dictieris adhibent, quae sunt ingenua et liberalia. Atque haec res ut exemplis copiosius demonstretur, non opus esse videtur, cum eum, qui Ciceronis libros rhetoricos legerit, hoc non fugere possit. Veniamus nunc ad id, ut hanc *vrbaniatem*, quae iocis et bonis dictis continetur, paucis explicemus. Qua in re vero breuitate si vtamur, dabunt nobis lectores veniam, cum haec ipsa tractatio sit infinitae obseruationis et multum temporis requiratur, ut inter legendum ipsa ioca obseruemus, eaque examinemus, vtrum *vrbaniatis* nomine digna videantur. Quanta vero in ipsis iocis vtendis cautio sit adhibenda, ne inuenisti aut dicaces videamur, suo vel exemplo demonstrauit Cicero, qui quidem ioca et dicteria in *Verrinis* orationibus magna copia protulit, sed tanta cum elegantia et delectu, ut ea, quae ipsi frigida et minus bella viderentur, aliis tribueret et ipse iis, quae *vrbaniatis* notam nullam haberent, abstineret. Atque in Ep. ad Diu. VII. ep. 32. ipse fatetur, se esse in *euρωπελας* vsu valde religiosum, et ita notata reliquissima genera dictorum suorum, ut cognosci sua sponte possent. Quamuis vero Cicero ipse a nimio coque minus urbano iocorum usu abstinuisse videtur, aliorum tamen reprehensionem effugere non potuit, quare etiam a Plutarcho *ridiculus Consul nominatus est*⁽⁴⁾. Qui Ciceronis castigatores sine id recte fecerint

III) A qua Plutarchi criminatione optime Ciceronem defendit Seb. Corradus in Quæstura Ciceroniana ex edit. V. Ernesti, p. 41—45.

rint, siue nimio eius reprehendendi studio ducti, hoc tamen exinde patet, iocorum usum esse rem valde lubricam neque omnia bona dicta *urbanitatis* nomen mereri. Ut igitur hanc iocorum urbanitatem bene cognoscamus, optime hoc examen ita instituerit, si etiam illam ad notam urbanitatis a Quintiliano suppeditatam exigamus. Etenim omnia dicta, nisi sint e conuersatione hominum doctorum petita et tacitam aliquam eruditionem prae se ferant, non urbana sed ridicula potius dixeris. Quam urbanitatis notam cum omnia quidem, tum ferre in primis ea dicta Ciceronis, quae in epistolis ad Trebatium et Paetum leguntur, habere videntur. Talis, ut hoc uno utrius, iocus est, si Cicero Epicuri deos monogrammos nominat *mmmm*).

§. XVIII.

Postquam igitur haec vniuerse ea, quae vel maxime ioca et bona dicta continet, disputauimus, progrediamur denique ad ultimum huius dissertationis prioris locum, quo praecipuas huius venustatis formas describemus. Prima autem huius urbanitatis diuisio esse videtur, qua omne, quicquid urbanum videatur, duplicitis quasi sit generis. Alterum aequabiliter in omni oratione fusum atque in perpetuitate sermonis magis versatur: alterum vero peracutum et breue, et in celeritate et dicto est. Prioris generis exempla in Ciceronis orationibus in *Catilizam*, *Vatinium*, *Verrem* et in quibusdam ad *Trebatium* epistolis inuenies. Haec vero urbanitas vel maxime iis in orationibus locum habet, quibus stultitiam, temeritatem, auaritiam, omnemque ingenii prauitatem et dictorum factorumque turpitudinem false perstringimus. Sed in hac re quoque magna cautio adhibenda erit, ne dicacitatem et scurrilitatem potius affectemus, quam urbanitatem. Valet hic vel maxime Quintiliani praescriptio *nnnn*): *vitandum etiam, inquit, ne petulans, ne superbum, ne loco, tempore alienum, ne preparatum et domo allatum videatur, quod dicimus*. Posterioris vero generis urbanitas, quae continetur breui et acute dicto, est tam multiplex eiusque formae tam variae, ut vix tam par-

uo

mmmm) De Nat. D. II. 23.

nnnn) Inst. Or. L. VII. c. 3.

uo libello comprehendi posse videantur. Venio igitur ad alteram huius vrbanitatis diuisionem, quae vel re vel verbis continetur, atque hic de priori tantum pauca dicemus, de posteriori deinde videbimus, cum ad vrbanitatem elocutionis expli-candam peruererimus. Quamquam quidem vrbanitatis huius, quae rebus inest, formae sunt variae atque iunumerabiles: tamen altera alteri iucunditate et venustate praefat, quare, relictis aliis, paucas ex iis afferemus, quae nobis optimae visae sunt. Atque hic primam et praecipuam vrbanitatis formam ponamus eam, quae narrationi inest, qua aliquid falso ac facete exponitur. Erit autem haec ipsa elegantia eo vrbanior, quo melius mores, vitam, ingenium omniaque ira explicet, ut non legere vel audire, sed rem oculis cernere videamur. Huius generis vrbanitas si intexitur orationi, quam maxime auditoris animum recreat atque afficit, quare Cicero saepe eiusmodi narrationes admisit et praeclararum exemplum in oratione pro Cluentio C. 20 inuenies, qua falso et lepide de Cepa-fiis narrat. Ad hoc genus quoque commode referri poterit, si fabellae aliaeque huius generis narratiunculae afferuntur, e quibus tota hominis natura et ingenium perspici possit. Quam venustae est ridiculæ sunt narrationes eae, quae in conuiuio, quod Cyrus instituit, habentur ^{ooo}). Quam bella et iucunda ea est narratio de Eunucho, qui Iouis et Danaæ imaginem iutuens ad stuprum puellæ inferendum com-motum se dicit ^{ppp})? Quantam venustatem haber Phaedri illa narratio de ardeline ^{qqq}; Quam lepidæ narratiunculae Ci-ceronis Verrinis intexuntur? Illam vero narrationem festiuam et ridiculam ironia merito excipit, quae dici non potest, quantam afferat orationi vrbanitatem! Haec res autem omnis magnam habitat difficultatem, neque cuius contingit bella ironia vti. Quodsi enim de omni vrbanitate valet Ciceronis illa praecepcion, ^{αντεχθων} illam in homine esse debere: hoc tamen inprimis de ironia dici poterit. Magna praeterea cautio adhibenda est, ne hanc ipsam venustatem nimium affectemus

et

^{ooo}) Xenoph. Cyrop. II. 2.^{ppp}) Terent. Eunucho A. III. Sc. V.^{qqq}) Phaedri Fab. II. 5.

et dum urbani esse volumus, Momii et improbi aliorum irrisores videamur. Atque in hac ipsa ironia recte et cum temperantia quadam vreda omnibus longe praestitisse videtur Socrates, qui irridendis et castigandis hominum vitiis eos ad virtutis studium cohortabatur. Elegans quoque ista in re est Cicero, cuius venustatis exempla multa in orationibus Verriinis occurunt, quibus aduersarios suos saepe debellavit melius quam longis iisque vehementissimis orationibus. Quo magis vero haec ironia latet et quo maiorem politi ingenii prae se fert speciem: eo maiorem quoque orationi iucunditatem et suauitatem conciliat. Quam elegans illa in epistolis ad Trebatium est ironia? quam bellum, ut hoc uno utar, est illud: *rrr) est, quod gaudeas te in ista loca venisse, ubi aliquid sapere viderere.* *Quodsi in Britanniam quoque profectus es: profecto nemo in illa tanta insula peritior te fuisse.* Quam eleganter sed tacite ramen Valerii in iuris prudentia ignorantiam exagitat? *Tu veliz, inquit sss), ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quam istic, ubi solus sapere videare.* Quanquam qui istic nunc veniunt, partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas: partim contumeliosum, quod male respondeas. Cum hac ironia, quae ad urbanitatem pertinet, coniuncta esse videtur laus, quae habet ironiam racitam; sed haec de ironia dicta sunt, pergamus ad aliam huius urbanitatis formam valde iucundam. Ea vero sic comparata est, ut non nisi ab ingenio polito et eleganti profici si queat, eamque ob caussam vel maxime urbanitatis nomine digna sit. Bellae atque iucundae sunt illae facetiae, quae e historia ducuntur et in rem praesentem accommodantur. Talis iocus est, quem Cicero in Hortensium dixisse fertur. *Circumtulit, inquit Plinius rrr), Hortensius orator sphingem Verri reo ablatam.* Propter quam Cicero, illo iudicio in altercatione, neganti ei se-aenigmata intelligere, respondit debere, quoniam sphingem domi haberet. Possimus quidem magnam exemplorum copiam afferre eaque omnia in classes quasdam describere; sed cum de iocis et Ci-

ce-

*rrr) Ep. ad Diu. L. VII. ep. 10.**sss) Ep. ad Diu. L. I. ep. 10.**rrr) Hist. natur. XXXIV. 8.*

cero et Quintilianus ex instituo disputauerint et exempla varia *Plutarchus* *euu*), *Macrobius* et e recentioribus in primis *Vauassor* in fine libelli supra a nobis laudati, collegent: satis habuimus, praecipuas huius urbanitatis formas notasse. Quod si vero haec omnia examinare velimus, vtrum urbana dici mereantur, sequamur hac in re in primis Ciceronis auctoritatem, qui Ep. ad Diu. L. VII. ep. 32 Volumnium sic iubet examinare sales atque facetias, vt, *nisi sint παρεπομπαιν*, sacramento contendat, ea Ciceronis non esse. Quo minus enim sunt audita, et exspectata, eo magis ad urbanitatem accedunt. Caeterum restat, vt de *Atticismo*, cum quo veteres *urbanitatem* comparant *xxx*, loquamur; cum vero hic et ad sententias et ad elocutionem pertineat, quae de illo dicenda habemus, in alteram huius libelli reiciamus fictionem, vbi de eo disputari posse videtur commodius.

uuu) In apophleg. Rom.

xxx) Quinet. Inst. Or. L. VI. c. 3. n. 107.

Corrigenda.

P. 3. n. a) Quinetil. Inst. Or. L. II. lege:	L. VI.
P. 5. l. 8. de moribus cap. 14.	— de moribus L. IV. c. 14.
P. 6. n. f) ludrica.	— ludicra.
P. 7. l. 24. suauitute	— suauitate.
P. 8. in fine: pascua.	— pecua.
P. 11. l. 24. excitauueit	— excitauerit.
P. 14. l. 29. ιοσμοτητα	— ιοσμισητα.
P. 14. l. 30. ιοσμοτης	— ιοσμισης.
P. 16. l. 17. locus	— loco.
P. 17. l. 33. του πρεπου	— του πρεποντος.
P. 19. l. 24. οι αδει	— οιχ δει.
P. 20. l. 8. quadam	— quadam
P. 28. l. 5. distribuuisse	— distribuisse.
P. 29. l. 21. Massi	— Marfi.
P. 37. l. 17. transferendam	— transferendas.
P. 37. l. 19. orationem	— oratio.
P. 40. l. vlt. taciti	— taciti.
P. 41. l. 18. quam	— quem.
P. 42. l. 15. c. 14.	— c. 14.
P. 48. l. 10. salte	— salte.
P. 48. l. 21. est	— et.

PRAE-

PRAESTANTISSIMO
HONORVM PHILOSOPHICORVM
C A N D I D A T O
S. D.
P R A E S E S.

Ex quo tū mihi innotuisti, CANDIDATE PRAENOBILISSIME, saepius voluptate haud vulgari perfusus sum, partim propter felix, quod ex beneficio diuino habes, ingenium; partim propter singularem diligentiam, quam studiis tribuisti; partim propter animum veri rectique amantem, quem in te mihi obseruare licuit. Quapropter ego te iam dudum inter illos ciues Halenses retuli, de quibus patria ciuitas bene sperare


G 2


possit:

possit: idque eo magis, quia profectus, impigro labore adquisitos, tum verba ad populum publice faciendo, tum Commititones priuatim docendo, satis luculenter demonstrasti. Quae cum ita sint, consilium T V V M', de examine philosophico subeundo et capessendis supremis in Philosophia honoribus; non potui non approbare, ut magis in lucem prodiere aliorumque commodis interesse queas. Iam in eo es, VIR DOCTISSIME, ut, examine feliciter superato, cathedram concendas, honores, TIBI ab ordine nostro decretos, obtenturus. Subiicis eum in finem publicae diquisitioni dissertationem, a TE solo elaboratam atque ab argumento suo satis commendabilem, quae, vti arbitror, gratiam initit apud rerum peritos. Nihil iam addo, nisi vt TIBI ex animo gratuler curriculm academicum, fauente Numine, laudabiliter finitum; eximos progressus in studiis sacris et profanis factos; et Magistri dignitatem, qua, me praeiente, ornaberis. Adsit Deus TVIS conatibus, ut vberimi fructus ex TVA doctrina in alios redundant. Sic vale et me ama! Dabam in Regia Fridericia na d. xxvi. Sept. MDCCCLXXII.

Chr 1131

X2402212





DISSERTATIO INAVGVRALIS PHILOSOPHICA
DE
VETERVM
INPRIMISQVE
CICERONIS VRBANITATE.
CVIVS SECTIONEM PRIOREM,

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
P R A E S I D E
IOANNE FRIDERICO STIEBRITZ
PHILOSOPHIAE, OECONOMIAE, POLITICAE
ET CAMERALIVM PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,
ALVMNORVM REGIORVM EPHORO,
PRAECEPTORE EGREGIO, PATRONO PIE COLENDO,

DIGNITATEM MAGISTRIS
AD
RITE OBTINENDAM
DEFENDET
DIE XXX. SEPTEMBR. CICICCLXXII.

18945599 AUGTOR
FRIDERICVS RVDOLPHVS WALTHER
HALENSIS
SEMINARI REGII THEOLOG. SENIOR.

HALAE AD SALAM, AERE HENDELIANO.